



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



D 177.

TAYLOR INSTITUTION.

—
BEQUEATHED


TO THE UNIVERSITY


BY

ROBERT FINCH, M. A.

OF BALLIOL COLLEGE.

2985 £. 76





M. A. PLAVTI TOM. I.

J. M. O'NEILL

M. ATTI PLAVTI
COMOEDIARVM

TOMVS PRIMVS.

IN VSVM ELEGANTIORVM HOMINVM



FRIDERICVS HENRICVS BOTHE.

BEROLINI.

SVMTV AVGVSTI FRIDERICI KVHNI.

1809.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

P R A E F A T I O.

Prodit tandem aliquando nostra fabularum Plautinarum recensio, decimum illa quidem, imo undecimum, in annum pressa, nec tamen fortasse, quae est humanarum rerum imbecillitas, tam exculta, tamque vitiis mendisque quibus foedissimis etiam libri scatebant, perpurgata, quam vel fama poëtae postulet, vel temporis insumti promittere videatur longitudo. Sed enim quos maxime hanc Spartam regere semper exoptaveram, eos minime id curare, cum intellexissem, alios vero, de quibus moderatior spes esset orbi literato, suae operae nimis quam largos, satagere viderem aliquandiu ac festinare, ne quis palmam praeriperet scilicet, mox etiam ipsos consulere, ampliare, negligere denique et alia omnia potius quam Plautum tractare: quidni ego quo-

que manum commodarem, ut aliquantillum certe elegantissima haec promoverentur studia, praesertim cum et promissis standum esset, nec labores me mei, interim suscepti, nimis avium ab hisce Romanae Musae faciliis tulissent?

Feci igitur ego, quod potui, sedulo; non quo magnam de me haberem ipse opinionem: sed ut aliquid saltem fieret, ingeniaque feliciora ut a me strata via mox latius grassarentur. Nam prorsus emaculare Plautum quis cogitet vel solus vel homo privatus, cum ad id efficiendum eidem opus sit non fervore solum ingenii Acidaliano, eruditioneque Gruteriana aut Gronoviana; verum etiam multo magis fortuna illa, qua usus olim Camerarius, in inveniendis optimae fidei codicibus, vel, ea deficiente, opibus haud vulgaribus ad conquirendum sumtu nimio, industria indefessa, longinquis denique peregrinationibus, quidquid ubique vel innotuit, vel etiamnum, situ obductum, latet, emendandi Comici subsidiorum?

Et de his quidem, quae contigerint, quae frustra anquisita fuerint, latius ibi exponam, ubi potero commodius, tomo operis quarto; nunc in univrsum monere sat habeo, neque

illo auxilio, quod valentissimum quidem ostentant libri scripti, prorsus destitutum provinciam hanc suscepisse, nec, si quid lucis adferre posse viderentur Sarsinati scriptores vel veteres vel recentiores, lectionis multae continuaequae, ac parum saepe fructuosae, fugere taedium, quam opus, quod molirer, quam fieri posset optime, procurare me maluisse.

Idem autem nunc in edendo Plauto ac nuper in Terentio consilium sumus secuti: ut, ablegata tandem, quo digna est, librariorum ignorantia, tum verba, si quae vulgatis apparerent magis esse genuina, poëtae restitueremus; tum autem orationes hic vel illic personis aptius divideremus; tum metra saepissime corrupta ad usitatas in eo genere revocaremus formulas, sperantes (praefiscini dixerim), fore, ut tantum sibi de nobis gratularetur Plautus, quantum de Bentleio Terentius.

Elocuti sumus, quid quomodo effectum dare fuerit animus (in capiundis autem rerum consiliis summa affectare non licet modo, sed etiam necessarium est); ceterum quid praestiterimus, quid deliquerimus, et utrumne haec opera nostra penitus perdita sit habenda, necne: rei periti, praesertim ii, qui


et ipsi hoc saxum voverint, ut rectissime, ita etiam humanissime iudicabunt. Miscelliones si quid dicent, indictum ego existimabo, nec tanti, quo refellendo bonam chartam commaculem.

Dabam Berolini, mense Octobri 1808.

A M P H I T R V O.

L

[1]



A R G V M E N T V M.

In faciem vorsus Amphitruonis Iupiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcmenam uxorem cepit usurariam;
Mercurius formam Sosiae servi gerit
Absentis: his Alcmena decipitur dolis.
Postquam rediere veri Amphitruo et Sosia,
Vterque dolis deluditur mirum in modum.
Hinc iurgium, tumultus, uxori et viro:
Donec, cum tonitru voce missa ex aethere,
Adulterum se Iupiter confessus est.

A L I V D A R G V M E N T V M.

Amore captus Alcumenas Iupiter
Mutavit sese in eius formam coniugis,
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus;
Habitu Mercurius ei subservit Sosiae.
Is advenientis servum et dominum frustra habet;
Turbas uxori ciet Amphitruo; atque invicem
Raptant pro moechis; Blepharo, captus arbiter,
Vter sit, non quit, Amphitruo, decernere.
Omnem rem noscunt: geminos illa enitur.

DRAMATIS PERSONAE.

MERCVRIVS.

SOSIA.

IVPITER.

AMPHITRVO.

BLEPHARO.

ALCVMENA.

THESSALA.

BROMIA.

P R O L O G V S.

MERCVRIVS.

Vt vos in vestris vultis mercimoniis
Emundis vendundisque me laetum lucris
Adficere atque adiuuare in rebus omnibus,
Et uti res rationesque vestrorum omnium
Bene expedire vultis peregrique et domi, 5
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro
Quasque incepistis res, quasque inceptabitis;
Et uti bonis vos vestrosque omnis nuntiis
Me adficere vultis: ea adferam, ea uti nuntiem,
Quae maxime in rem vestram communem sient 10
(Nam vos quidem id iam scitis concessum et datum
Mi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro);
Haec ut me vultis adprobare ac nitier,
Lucrum ut perenne vobis semper suppetat:
Ita huic facietis fabulae silentium, 15
Itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri.
Nunc, quous iussu venio et quam ob rem venerim,
Dicam, simulque ipse eloquar nomen meum.
Iouis iussu venio; nomen Mercuri est mihi;
Pater huc me misit ad vos oratum meus, 20

Tametsi pro imperio vobis, quod dictum foret,
 Scibat facturos: quippe qui intellexerat,
 Vereri vos se et metuere, ita ut aequom est, Iovem;
 Verum profecto hoc petere me precario

A vobis iussit leniter dictis bonis: 25

Etenim ille, quocius huc iussu venio, Iupiter
 Non minus quam vostrum quivis formidat malum,
 Humana matre natus, humano patre:

Mirari non est aequom, sibi si praetimet;

Atque ego quoque etiam, qui Iovis sum filius, 30

Contagione patris mei metuo malum.

Propterea pace advenio ad vos, pacem adfero.

Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo:

Nam iusta ab iustis iustus sum orator datus:

Nam iniusta ab iustis impetrari non decet; 35

Iusta item ab iniustis petered, insipientia est:

Quippe illi iniqui ius ignorant neque tenent.

Nunc iam animum huc ad ea, quae loquar, ad-
 vortite!

Debetis velle, quae velimus: meruimus

Et ego et pater de vobis et republica. 40

Nam quid ego memorem, ut alias in tragoediis

Vidi Neptunum, Virtutem et Victoriam,

Martem, Bellonam, commemorare, quae bona

Vobis fecissent? quis benefactis meus pater,

Deorum regnator, architectus omnibus; 45

Sed illi nunquam mos fuit, patri meo,

Vt exprobraret, quod bonis faceret boni;

Gratum arbitratur esse id a vobis sibi,

Meritoque vobis bona se facere, quae facit.

Nunc, quam rem oratum huc veni, primum prolo-
 quar; 50

Post argumentum huius eloquar tragoediae.
 Quid contraxistis frontem, quia tragoediam
 Dixi futuram hanc? deus sum: conmutavero
 Eadem, si voltis; faciam hanc, ex tragoedia
 Comoedia ut sit omnibus isdem versibus. 55
 Vtrum, sit, an ne, voltis? Sed ego stultior:
 Quasi nesciam vos velle, qui divos siem.
 Teneo, quid animi vestri super hac re siet:
 Faciam, ut conmixta sit Tragicocomoedia:
 Nam me perpetuo facere ut sit comoedia, 60
 Reges quo veniant et di, non par arbitror.
 Quid igitur? quoniam hic servos quoque partis
 habet,
 Faciam, proinde ut dixi, hanc Tragicocomoediam.
 Nunc hoc me orare a vobis iussit Iupiter,
 Conquisitores singuli in subsellia . 65
 Ut eant per totam caveam spectatoribus:
 Si qui favitores delegatos viderint,
 Ut his in cavea pignus capiantur togae.
 Seu qui ambiissent palmam histrionibus,
 Seu quoiquam artifici (seu per scriptas literas, 70
 Seu qui ipsi ambiissent, seu per internuntium);
 Sive adeo Aediles perfidiose quod dunt:
 Sirempse legem iussit esse Iupiter,
 Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
 Virtute dixit vos victores vivere, 75
 Non ambitione, neque perfidia: qui minus
 Eadem histrioni lex sit, quae summo viro?
 Virtute ambire oportet, non favoribus:
 Sat habet favorum semper, qui recte facit,
 Si illis fides est, quibus est ea res in manu. 80
 Hoc quoque etiam dederat mi in mandatis, uti

Conquisitores fierent histrionibus:

Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent,

Quivē alter quo placeret fecissent minus,

Eis ornamenta et corium uti conciderent. 85

Mirari nolim vos, quapropter Iupiter

Nunc histriones curet; ne miremini:

Ipse hanc acturust Iupiter comoediam.

Quid estis admirati, quasi vero novom

Nunc proferatur, Iovem facere histrioniam? 90

Etiam histriones anno quom in proscenio hic

Iovem invocarunt: venit; auxilio is fuit.

Praeterea certe prodit in tragoedia.

Hanc fabulam, inquam, hic Iupiter hodie ipse aget,

Et ego una cum illo. Nunc vos animum advortite, 95

Dum argumentum huius eloquar comoediae.

Haec urbs est Thebae. In illisce habitat aedibus

Amphitruo, natus Argus ex Argo patre,

Quicum Alcumena est nupta, Electri filia.

Is nunc praefectus Amphitruo est legionibus: 100

Nam cum Telebois bellum est Thebano poplo.

Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitium,

Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.

Nam ego vos novisse credo iam, ut sit meus pater,

Quam liber harum rerum multarum siet, 105

Quantusque amator sit, quod conplacitum est semel:

Is amareoccoepit Alcumenam clam virum,

Vsuramque eius corporis cepit sibi,

Et gravidam fecit itidem compressu suo.

Nunc, de Alcūmena ut rem teneatis rectius, 110

Vtrimque est grvida, et ex viro et ex summo Iove;

Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat;

Et haec ob eam rem nox est facta longior,

Dum ille illam, quicum volt, voluptatem capit;
 Sed ita adsimulavit se, quasi Amphitruo siet. 115
 Nunc, ne hunc ornatum vos meum admiremini,
 Quod ego huc processi sic cum servili schema:
 Veterem atque antiquam rem novam ad vos pro-
 feram:

Propterea ornatus in novom incessi modum:
 Nam, meus pater nunc intus, eccum, Iupiter 120
 In Amphitruonis vortit sese imaginem,
 Omnesque eum esse censent servi, qui vident:
 Ita vorsipellem se facit, quando lubet;
 Ego servi sumsi Sosiae mihi imaginem,
 Qui cum Amphitruone hinc abiit indu exercitum: 125
 Vt praeservire amanti meo possem patri,
 Atque ut ne, qui essem, familiares quaerent,
 Versari crebro hic quom viderent me domi:
 Nunc, quom esse credent servom et conservom suom,
 Haud quisquam quaeret, qui siem, aut, quid ve-
 nerim. 130

Pater nunc intus animo suo morem gerit:
 Cubat complexus, quoius cupiens maxume est;
 Quae illi ad legionem facta sunt, memorat pater
 Meus Alcumenai; illa illunc censet virum
 Suom esse, quae cum moecho est. Ibi nunc meus
 pater 135

Memorat, legiones hostium ut fugaverit;
 Quo pacto donis sit donatus plurimis.
 Ea dona, quae illi Amphitruoni sunt data,
 Abstulimus: facile meus pater, quod volt, facit.
 Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu 140
 Et servos, quoius hanc ego fero imaginem.
 Nunc, internosse ut nos possitis facilius,

Ego has habebō hic usque in petaso pinnulas;
 Tum meo patri autem torulus inerit aureus
 Sub petaso; id signum Amphitruoni non erit. 145
 Ea signa nemo horum ce familiarium
 Videre poterit; verum vos videbitis.

Sed Amphitruonis ille est servos Sosia;
 A portu illic nunc cum laternad advenit.
 Abigam iam ego illunc advenientem ab aedibus. 150
 Adest. Erit operae pretium hic spectantibus
 Iovem et Mercurium facered histrioniam.

SOSIA. MERCVRIVS.

SOSIA.

Qui me alter est audacior homo, aut qui confi-
 dentior, i. t. I, I
 Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus
 ambulem?
 Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem con-
 pegerint,
 Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum,
 Nec causam liceat dicere, neque in hero quidquam
 auxili siet, 5
 Nec quisquam sit quin me omnes esse dignum de-
 putent, ita
 Quasi incudem me miserum homines octo validi
 caedant, i. tr. h.
 Ita peregre adveniens poplicitus hospitio accipiar?
 Haec heri inmodestia cogit, hoc qui noctis
 med à portu in- t. o.
 gratis excitavit! Nonne idem hoc me luci mittere
 potuit? 10

Opulento homini hoc servitus dura est! hoc mage
 miser est divitis servos!
 Noctesque diesque adsiduo satis superque est, i. tr. h.
 Quo facto aut dictod est opus, quietus ne sis.
 Ipse dominus, dives operis et laboris expers,
 Quodcunque homini accidit libere, posse retur; 15
 Aequom esse putat, non reputat, laboris quid sit;
 Neque, aequom anne iniquom imperet, cogita-
 bit. b. t.

Ergo in servitute expetunt multa iniqua;
 Habendum et ferendum hoc onust cum labore.

MERCVRIVS.

Satiust, me queri illo modo servitutum 20
 Hodie? qui fuerim liber, eum nunc potivit
 Pater servitutis; b. d.
 Hic, qui verna natust, queritur. t. d.
 Sum vero verna verbero!

SOSIA.

Numero mihi in mentem fuit, i. t.
 Dis advenientem gratias pro meritis agere atque
 adloqui. 25
 Nae illi edepol, si merito meo referre studeant
 gratias,
 Aliquem hominem adlegent, qui mihi advenienti
 os occillet probe:
 Quoniam bona, quae in me fecerunt, ingrata ea ha-
 bui atque inrata.

MERCVRIVS.

Facit ille, quod volgo haud solent, ut, quid se sit
 dignum, sciat.

SOSIA.

Quod nunquam opinatus fui, neque alius quisquam
 civium, 30

Sibi eventurum, id contigit, ut salvi potiremur
domum.

Victores, victis hostibus, legiones reveniunt domum,
Duello extincto maximo atque internecatis ho-
stibus.

Quod multa Thebano populo acerba obiecit funera,
Id vi et virtute militum victum atque expugnatum
oppidum est, 35

Imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis
maxime.

Praeda atque agros adoreaue adfecit popularis
suos,

Regique Thebano Creonti regnum stabilivit suum,
Me a portu praemisit domum: haec ut nuntiem
uxori suae:

Vt gesserit rempublicam ductu, imperio, auspicio
suo. 40

Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom
illo advenero.

Si dixero mendacium, solens meo more fecero:
Nam quom pugnabant maxime, ego fugiebam
maxime;

Verum, quasi adfuerim, tamen simulabo atque au-
dita eloquar.

Sed, quo modo et verbis quibus me deceat fabu-
larier, 45

Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. — Sic
hoc proloquar.

Principio ut illo advenimus, ubi primum ter-
ram tetigimus,

Continuo Amphitruo delegit viros primorum prin-
cipes;

Eos legat; Telebois iubet sententiam ut dicant suam:
 Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores
 tradere, 50

Si, quae asportassent, reddere: se exercitum ex-
 templo domum

Reducturum, abituros agros Argivos, pacem atque
 otium

Dare illis; sin aliter sient animati, neque dent,
 quae petat:

Sese igitur summa vi virisque suum oppidum ex-
 pugnassere.

Haec ubi Telebois ordinem iterarunt, quos prae-
 fecerat 55

Amphitruo: magnanimi viri, freti virtute et viribus
 Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant;

Respondent: bello se et suos tutari posse: proin-
 de uti

Propere de finibus suis exercitum deducerent.

Haec ubi legati pertulere: Amphitruo castris eloco 60

Producit omnem exercitum; contra Teleboae ex
 oppido.

Legiones educunt suas, nimis pulcris armis praeditas.

Postquam utrimque exitum est maxuma copia, c. t.

Dispartiti viri, dispartiti ordines:

Nostros nos more nostro et modo instruximus; i- 65
 tem hostes contra legiones suas instruunt;

Deinde uterque imperator in medium exeunt,

Extra turbam ordinum conloquuntur simul:

Convenit, victi utri sint eo proelio,

Vrbem, agrum, aras, focos seque uti dedunt. 70

Postquam id actum est: tubae utrimque contra canunt;

Consonat terra; clamorem utrimque efferunt;

Imperator utrimque hinc et illinc Iovi
 Vota suscipere, hortarier exercitum;
 Pro se quisque id, quod quisque et potest et valet, 75
 Edit, ferro ferit; tela frangunt; boat
 Coelum fremitu virum; ex spiritu et anhelitu
 Nebula constat; cadunt volnerum vi virum
 Hostes; crebri cadunt; nostri contra ingruont:
 Denique, ut voluimus, nostra superat manus; 80
 Vicimus vi ferocis. c. d. h.
 Sed fugam in se tamen nemo convortitur, c. t.
 Nec recedit loco, statim quin rem gerat;
 Animam amittunt priusquam loco demigrent;
 Quisque, ut steterat, iacet obtinetque ordinem. 85
 Hoc ubi Amphitruo conspicatust herus:
 E loco equites iubet dextera inducere.
 Equites parent citi: ab dextera maxumo
 Cum clamore involant, impetu alacri suo
 Foedant et proterunt hostium copias 90
 Iure iniustas. c. h.

MERCURIUS.

Nunquam etiam quidquam adhuc verborum est pro-
 locutus perperam: i. t.
 Namque ego fui illi in re praesenti, et meus, quom
 pugnatum est, pater.

SOSIA.

Perduelles penetrant se in fugam: ibi nostris ani-
 mus additust:
 Vortentibus Telebois telis complebantur corpora, 95
 Ipusque Amphitruo regem Pterelam suad obtrun-
 cavit manu.
 Haec illic est pugnata pugnad usque a mane ad
 vesperum;

Hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die in-
pransus fui:

Sed proelium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbed ad nos veniunt flentes
principes, 100

Velatis manibus; orant, ignoscamus peccatum suom;
Deduntque se, divinâ humanaque omnia, urbem
et liberos,

In deditionem atque arbitratum cuncti Thebano
poplo.

Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata
aurea est,

Qui Pterela potitare rex est solitus. Haec sic di-
cam herae. 105

Nunc pergam heri imperium exsequid, et me do-
mum capessere.

MERCURIVS.

Attat, illic huc iturust: ibo ego illid obviam, t. t. c.
Neque ego hunc hominem hodie ad aedis has si-
nam unquam accedere.

Quando imago est huius in me, certum est homi-
nem eludere.

Et enimvero, quoniam formam cepi huius in med
et statum, 110

Decet et facta moresque huius habere me similis
item:

Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum,
admodum,

Atque hunc telo suo sibi, malitiâ foribus pellere.
Sed quid illuc est? coelum adspectat: observabo,
quam rem agat.

SOSIA.

Certo edepol, si quidquam est aliud, quod credam
aut certo sciam, 115
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse
ebrium:

Nam neque se septentriones quoquam in coelo
conmovent,

Neque se luna quoquam mutat atque uti exorta
est semel:

Nec iugula, neque vesperugo, neque vergiliae occi-
dunt:

Ita statim stant signa; neque nox quoquam con-
cedit die. 120

MERCVRIVS.

Perge, Nox, ut occoepisti! gere patri morem meo!
Optume optumo optumam operam das, datam pul-
cre locas.

SOSIA.

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpe-
tem;

Eam quoque edepol etiam multo haec vincit lon-
gitudine. 125

Credo edepol equidem dormire Solem, atque ad-
potum probe.

Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum.

MERCVRIVS.

Aiin' vero, verbero? esse deos tui similis putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, fur-
cifer,

Accipiam! modo sis veni huc: invenies infortu-
nium! 130

So-

SOSIA.

Vbi sunt isti scortatores, qui soli inviti cibant?
Haec nox scita est exercendo scorto conducto
male.

MERCVRIVS.

Meus pater nunc pro huius verbis recte et sapien-
ter facit,
Qui complexus cum Alcumena cubat amans, ani-
mo obsequens.

SOSIA.

Ibo, ut, herus quod imperavit, Alcumenae nun-
tiem. 135
Sed quis hic est homo, quem ante aedis video hoc
noctis? Non placet.

MERCVRIVS.

Nullus est hoc meticulosus aequae.

SOSIA.

Mi in mentem venit:
Illic homo hocce denuo volt pallium detexere.

MERCVRIVS.

Timet homo: deludam ego illum.

SOSIA.

Perii, dentes pruriunt:
Certe advenientem hic me hospitio pugneo accep-
turus est. 140
Misericors est, credo: nunc, propterea quod me
meus herus
Fecit, ut vigilarem, hic pugnīs faciet hodiē ob-
dormiam.
Oppido interii! obsecro hercle, quantus et quam
validus est!

MERCVRIVS.

Clara advorsum fabulabor: hic auscultet, quae lo-
quar.

Igitur mage modum in maiorem in sese concipiet
metum. 145

Agite, pugni: iam diu est, quod ventri victum non
datis:

Factum iampridem videtur, here quod homines
quatuor

In soporem conlocastis nudos!

SOSIA.

Formido male,

Ne ego hic nomen meum conmutem, et Quintus
fiam e Sosia.

Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat: 150
Metuo, ne numerum augeam illunc.

MERCVRIVS.

Hem, nunc iam ergo! sic volo!

SOSIA.

Cingitur! certe expedit se!

MERCVRIVS.

Non feret, quin vapulet!

SOSIA.

Quis homo?

MERCVRIVS.

Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos
edet!

SOSIA.

Apage! non placet mi hoc noctis esse: coenavi
modo:

Proin tu istanc coenam largire, si sapis, esurien-
tibus. 155

MERCVRIVS.

Haud malum huic est pondus pugno.

SOSIA,

Perii, pugnos ponderat!

MERCVRIVS.

Quid, si ego illunc tractim tangam, ut dormiat?

SOSIA.

Servaveris:

Nam continuas has tris noctis pervigilavi.

MERCVRIVS.

Pessimum est

Facinus, nequiter ferire malam maledicis, Manus:
Alia forma oportet esse, quem tu pugno legeris! 160

SOSIA.

Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

MERCVRIVS.

Exossatum os esse oportet, quem probe percussaris.

SOSIA.

Mirum, ni hic me, quasi muraenam, exossare cogitat.

Vltro istunc, qui exossat homines! perii, si me aspexerit!

MERCVRIVS.

Olet homo quidam malo suo.

SOSIA.

Hei, numquidnam ego obolui? 165

MERCVRIVS.

Atque haud longe abesse oportet; verum longe hinc abfuit.

SOSIA.

Illic homo supersticiosus.

MERCVRIVS.

Gestiunt pugni mihi.

SOSIA.

Si in me exerciturus, quaeso, in parietem ut primum domes.

MERCVRIVS.

Vox mi ad auris advolavit.

SOSIA.

Vt ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito. 170

MERCVRIVS.

Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.

SOSIA.

Non equidem ullum habeo iumentum.

MERCVRIVS.

Onerandus est pugnis probe.

SOSIA.

Lassus sum hercle; navi ut vectus huc sum, etiam
nunc nauseo;

Vix incedo inanis: ne ire posse cum onere existumes.

MERCVRIVS.

Certe enim hic nescio quis loquitur.

SOSIA.

Saluos sum: non me videt: 175
Nescio quem loqui autumat: mihi certe nomen
Sosia est.

MERCVRIVS.

Hinc mihi dextera vox auris, ut videtur, verberat.

SOSIA.

Metuo, vocis ne vice hodie hic vapulem, quae hunc
verberat.

MERCVRIVS.

Optume, eccum, incedit ad me.

SOSIA.

Timeo! totus torpeo!

Non edepol nunc, ubi terrarum sim, scio, si quis
roget, 180

Neque miser me conmovere possum prae formidine!
Ilicet, mandata heri perierunt una et Sosia!

Verum certum est confidenter hominem contra
conloqui,

Igitur qui possim videri huic fortis: abstineat
manum.

MERCVRIVS.

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclu-
sum geris? 185

SOSIA.

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas ho-
minibus?

MERCVRIVS.

Servosne es, an liber?

SOSIA.

Vtcunque animo conlubitum est meo.

MERCVRIVS.

Aiin' vero?

SOSIA.

Aio enimvero.

MERCVRIVS.

Verbero!

SOSIA.

Mentire nunc.

MERCVRIVS.

At iam faciam, ut verum dicas dicere.

SOSIA.

Quid eo est opus?

MERCVRIVS.

Possum scire, quo profectus, quous sis, aut quid
veneris? 190

SOSIA.

Huc eo, heri mei sum servos. Numquid nunc es
certior?

MERCVRIVS.

Ego tibi istam hodie scelestam conprimam linguam.

SOSIA.

Haud potes:

Bene pudiceque adservatur.

MERCVRIVS.

Pergin' argutarier?

Quod apud hasce aedis negotium est tibi?

SOSIA.

Imo quod tibi est?

MERCVRIVS.

Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper lo-
cat. 195

SOSIA.

Bene facit: quia nos eramus peregri, tutatust domi.
At nunc abi sane: advenisse familiaris dicito.

MERCVRIVS.

Nescio, quam tu familiaris sis: nisi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere faxo haud familiariter!

SOSIA.

Hic, inquam, habito ego, atque sum horunc servos.

MERCVRIVS.

At scin', quomodo? 200

Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis!

SOSIA.

Quonam modo?

MERCVRIVS.

Auferere, non abibis, si ego fustem sumsero!

SOSIA.

Quin med esse huius familiai familiarem praedico.

MERCVRIVS.

Vide sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum
hinc abis!

SOSIA.

Tun' homo prohibere peregre me aduenientem
postulas? 205

MERCVRIVS.

Haecce tua domust?

SOSIA.

Ita, inquam.

MERCVRIVS.

Quis herus est igitur tibi.

SOSIA.

Qui praefectus nunc Thebanis Amphitruo est le-
gionibus,

Quicum nupta est Alcumena.

MERCVRIVS.

Quid ais? quod nomen tibi est?

SOSIA.

Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.

MERCVRIVS.

Nae tu istic hodie compositis tuo malo mendaciis 210
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis!

SOSIA.

Imo equidem tunicis consutis huc adveni, non
dolis.

MERCVRIVS.

At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis, venis:

SOSIA.

Ita profecto.

MERCVRIVS.

Nunc profecto vapula ob mendacium!

SOSIA.

Non edepol volo profecto.

MERCVRIVS.

At pol profecto ingratiis! 215

Hoc quidem profecto certum est, non est arbitrium.

SOSIA.

Tuam fidem obsecro!

MERCVRIVS.

Tun' te audes Sosiam esse dicere,

Ego qui sum?

SOSIA.

Perii!

MERCVRIVS.

Parum etiam, praeut futurum est, praedicas.

Quoius nunc es?

SOSIA.

Tuos: nam pugnibus usufecisti tuom.

Proh fidem, Thebani cives!

MERCVRIVS.

Etiam clamas, carnufex? 220

Loquere, quid venisti?

SOSIA.

Vt esset, quem tu pugnibus caederes.

MERCVRIVS.

Quoius es?

SOSIA.

Amphitruonis, inquam, Sosia.

MERCVRIVS.

Ergo istoc magis,
Quia vaniloquos, vapulabis: ego sum, non tu,
Sosia.

SOSIA.

Ita di faciant, tute ut potius sis, atque, ego te ut
verberem.

MERCVRIVS.

Etiam muttis?

SOSIA.

Iam tacebo.

MERCVRIVS.

Quis tibi herust?

SOSIA.

Quem tu voles. 225

MERCVRIVS.

Quid igitur? qui nunc vocare?

SOSIA.

Nemo, nisi quem iusseris.

MERCVRIVS.

Amphitruonis ted esse aibas Sosiam.

SOSIA.

Peccaveram :

Nam me Amphitruonis volui sociennum esse dicere.

MERCVRIVS.

Scibam equidem, esse nullum nobis, nisi me, ser-
vom Sosiam.

Fugit te ratio.

SOSIA.

O utinam istuc pugni fecissent tui! 230

MERCVRIVS.

Ego sum Sosia ille, tu quem dudum te esse aibas
mihi.

SOSIA.

Obsecro, ut per pacem liceat te adloqui, ut ne
vapulem!

MERCVRIVS.

Imo induciae parumper fiant, si quid vis loqui.

SOSIA.

Non loquar, nisi pace facta: quando pugnis plus
vales.

MERCVRIVS.

Dicito, quid vis: non nocebo.

SOSIA.

Tuae fide credo?

MERCVRIVS.

Meae. 235

SOSIA.

Quid, si falles?

MERCVRIVS.

Tum Mercurius Sosiae iratus siet.

SOSIA.

Animum advorte: nunc licet mihi libere quidvis
loqui.

Amphitruonis ego sum servos Sosia.

MERCVRIVS.

Etiam denuo?

SOSIA.

Pacem feci! foedus feci! vera dico!

MERCVRIVS.

Vapula!

SOSIA.

Vt lubet; quod tibi lubet, fac: quoniam pugnis plus
vales. 240

Verum utut facturus, hoc quidem hercle haud re-
ticebo tamen.

MERCVRIVS.

Tu me vivos hodie nunquam facies, quin sim Sosia.

SOSIA.

Certe edepol tu me alienabis nunquam, quin no-
ster siem;

Nec me praeter nobis alius quisquam est servos
Sosia,

Qui cum Amphitruone hinc unad iveram indu ex-
ercitum. 245

MERCVRIVS.

Hic homo sanus non est.

SOSIA.

Quod mihi praedicas vitium, id tibi est.
Quid, malum? nonne ego sum servos Amphitruo-
nis Sosia?

Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico
Venit, quae me advexit? nonne me huc herus mi-
sit meus?

Nonne ego nunc sto ante aedis nostras? non mi est
laterna in manu? 250

Non loquor? non vigilo? nonne hic homo me pu-
gnis contudit?

Fecit hercle: nam etiam misero misere nunc malae
dolent.

Quid igitur ego dubito? aut cur non introëo in
nostram domum?

MERCVRIVS.

Quid? domum vostram?

SOSIA.

Ita enimvero.

MERCVRIVS.

Quin quaequae dixi modo,
Omnia ementitus: equidem sum Amphitruonis So-
sia: 255

Nam noctu hac soluta est navis nostra e portu
Persico;

Et, ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugna-
vimus;

Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus:
Et regem ipsus Amphitruo obtruncavit Pterelam
in proelio.

SOSIA.

Egomet mihi non credo, quom illaec autumare il-
lum audio: 260

Hic quidem certe, quae illi sunt res gestae, memo-
rat memoriter. —

Sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois datum
hostibust?

MERCVRIVS.

Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.

SOSIA.

Elocutus est! — Vbi patera nunc ea est?

MERCVRIVS.

In cistula;

Amphitruonis obsignata signo est.

SOSIA.

Signi dic quid est? 265

MERCVRIVS.

Cum quadrigis sol exoriens. Quid me captas, car-
nufex?

SOSIA.

Argumentis vincit! aliud nomen quaerendum est.
mihi.

Nescio, unde haec hic spectavit. Iam ego hunc
decipiam probe:

Nam quod egomet solus feci, nec quisquam alius
adfuit

In tabernaclo, id quidem hodie nunquam poteris
dicere. 270

Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxime,
Quid fecisti in tabernaclo? Victus sum, si dixeris.

MERCVRIVS.

Cadus erat vini; inde implevid hirneam . .

SOSIA.

Ingressust viam!

MERCVRIVS.

Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxeram
meri.

SOSIA.

Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea! 275
Factum illuc, ut ego illic vinid hirneam ebiberim
meri.

MERCVRIVS.

Quid nunc? vincon' argumentis, te non esse So-
siam?

SOSIA.

Tu negas med esse?

MERCVRIVS.

Quid ego ni negem, qui egomet siem?

SOSIA.

Per Iovem iuro, me esse, neque me falsum dicere.

MERCVRIVS.

At ego per Mercurium iniuro, tibi Iovem non credere: 280

Nam iniurato, scio, plus credet mihi, quam iurato tibi.

SOSIA.

Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? Ted interrogo.

MERCVRIVS.

Vbi ego Sosia esse nolim, tu esto sane Sosia;
Nunc, quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis ignominis.

SOSIA.

Certe edepol, quom illunc contemplo et formam cognosco meam, 285

Quemadmodum saepe in speculo inspexi, nimium similis est mei;

Itidem habet petasum ac vestitum; tam consimilist atque ego: —

Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum vel labra, Malae, mentum, barba, collum, totus.... quid verbis opust:

Tergum si cicatricosum, nihil hoc simili est similius. 290

Sed quom cogito, equidem certe sum idem, qui semper fui:

Novi herum, novi aedis nostras: sane sapio et sentio:

Non ego illi obtempero, quod loquitur: pultabo foris.

MERCVRIVS.

Quo agis te?

SOSIA.

Domum.

MERCVRIVS.

Quadrigris si nunc incendas Iovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris ecfugere infor-
tunium! 295

SOSIA.

Nonne herae meae nuntiare, quod herus meus ius-
sit, licet?

MERCVRIVS.

Tuae, si quid vis nuntiare; hanc nostram adire
non sinam.

Nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc au-
feres!

SOSIA.

Abeo potius. Di immortales, obsecro vostram fidem,
Vbi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego for-
mam perdididi? 300

An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae an-
te hac fuerat, possidet:
Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet
mihi.

Ibo ad portum, atque, haec uti sunt facta, hero di-
cam meo;

Nisi etiam is quoque ignorabit me; quod faciat
Iupiter 305

Ille: ut ego hodie raso capite calvos capiam pileum.

MERCVRIVS.

Bene prospereque hoc hodie processit mihi! i. s.

Amovi a foribus maxumam molestiam:
 Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
 Iam ille illuc ad herum quom Amphitruonem ad-
 venerit: 310

Narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam
 Amovisse; ille adeo illum mentiri sibi
 Credet, neque credet huc profectum, ut iusserat:
 Erroris ambo ego illos et dementiae
 Conplebo atque omnem Amphitruonis familiam, 315
 Adeo usque satietatem dum capiet pater
 Illius, quam amat; igitur demum omnes scient,
 Quae facta. Denique Alcumenam Iupiter
 Rediget antiquam coniugis in concordiam:
 Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet, 320
 Atque insimulabit eam probri; tum meus pater
 Eam seditionem illi in tranquillum conferet.
 Nunc, de Alcumena dudum quod dixi minus,
 Hodie illa pariet filios geminos duos;
 Alter post mense decumo nascetur puer, 325
 Quam seminatus; alter mense septumo.
 Eorum Amphitruonis alter est, alter Iovis;
 Verum minori puero maior est pater,
 Minor maiori. Iamne hoc scitis, quid siet?
 Sed Alcumenai huius honoris gratia 330
 Pater curavit, uno ut foetu fieret,
 Vno ut labore absolveret aerumnas duas:
 Clandestina ut celetur consuetio.
 Quamquam, ut iamdudum dixi, resciscet tamen 335
 Amphitruo rem omnem. Quid igitur? nemo id probro
 Profecto ducet Alcumenaе. Nam deum
 Non par videtur facere, delictum suom
 Suamque ut culpam expetere in mortalem sinat.

Ora-

AMPHITRVO.

33

Orationem conprimam: crepuit foris. 340
Amphitruo subditivos, eccum, exit foras
Cum Alcumena, uxored usuraria.

IVPITER. ALCVMENA. MERCVRIVS.

IVPITER.

Bene vale, Alcumena! cura rem communem, quod
facis, t. t. c. I, 2
Atque inperce, quaeso: mensis iam tibi exactos
vides.
Mihi necesse est ire hinc; verum, quod erit natum,
tollito. 345

ALCVMENA.

Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito
domo
Abeas?

IVPITER.

Edepol haud, quod tui me, neque domi,
distaedeat;
Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum:
Citius, quod non facto est usus, fit, quam, quod
facto est opus.

MERCVRIVS.

Nimis hic scitust sycophanta, qui quidem sit meus
pater. 350
Observatote eum, quam blande mulieri palpabitur.

ALCVMENA.

Ecastor te experior, quanti facias uxorem tuam.

I.

[3]

IUPITER.

Satin' habes, si feminarum nulla est, quam aequè
diligam?

MERCURIUS.

Edepol nae illa si istis rebus te sciat operam dare:
Ego faxim te Amphitruonem malis esse, quam
Iovem. 355

ALCVMENA.

Experiri istuc mavellem me, quam mihi memorarier.
Prius abis, quam, ubi cubuisti, lectus concaluit locus.
Here venisti media nocte; nunc abis: hoccin'
placet?

MERCURIUS.

Accedam atque hanc adpellabo, et supparasitabor
patri.

Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego
uxorem suam 360

Sic ecflictim amare, proinde ut hic te ecflictim de-
perit.

IUPITER.

Carnufex, non ego te novi? abin' e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut mut-
titio?

Quoid ego hoc iam scipione!

ALCVMENA.

Ah noli!

IUPITER.

Muttito modo!

MERCURIUS.

Nequiter pene expedit prima parasitatio. 365

IUPITER.

Verum quod dicis, mea uxor, non te mi irasci decet:

Clanculum ego abii a legione; hanc operam sub-
ripui tibi:

Ex me primo prima scires, rem ut gessissem pu-
blicam;

Ea tibi omnia enarravi: nisi te amarem plurimum,
Non facerem.

MERCVRIVS.

Facitne, ut dixi? timidam palpo per-
cutit. 370

IVPITER.

Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum
est mihi:

Ne me uxorem praevortisse dicant prae republica.

MERCVRIVS.

Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem.

IVPITER.

Tace! —

Ne conrumpe oculos: redibo actutum.

ALCVMENA.

Id actutum diu est.

IVPITER.

Non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te.

ALCVMENA.

Sentio: 375

Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis.

IVPITER.

Cur me tenes?

Tempus est: exire ex urbe, priusquam luciscat, volo.

Nunc ibi hanc pateram quae dono mi est ob
virtutem data,

Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi condono.

ALCVMENA.

Facis, ut alias res soles. 380
Ecastor condignum donum, qualist, qui donum
dedit!

MERCVRIVS.

Imo sic condignum donum, qualist, quoi dono da-
tum est!

IYPITER.

Pergin' autem? nonne ego possum, furcifer, te
perdere?

ALCVMENA.

Noli, amabo, Amphitruo, irasci Sosiae causa mea!

IYPITER.

Faciam ita, ut vis.

MERCVRIVS.

Ex amore hic admodum quam saevos est! 385

IYPITER.

Numquid vis?

ALCVMENA.

Vt, quom absim, me ames, me, tuam
absentem, tamen.

MERCVRIVS.

Eamus, Amphitruo: luciscit hoc iam.

IYPITER.

Abi prae, Sosia:

Iam ego sequar. Numquid vis?

ALCVMENA.

Etiam, ut actutum advenias.

IYPITER.

Licet.

Prius tuad opinione hic adero: bonum animum habe
modo. —

Nunc te, Nox, quae me mansisti, mitto, ut con-
cedas die: 390

Vt mortalibus inluciscat luce clara et candida;
Atque quanto, Nox, fuisti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat, faciam: ut aequè di-
spar et
Dies e nocte accedat. — Ibod, et Mercurium sub-
sequar.

AMPHITRVO. SOSIA.

AMPHITRVO.

Age, i tu secundum!

SOSIA.

Sequor, subsequor te. 395 b. t. II, 1

AMPHITRVO.

Scelestissimum te arbitror.

SOSIA.

Nam quamobrem?

AMPHITRVO.

Quia id, quod neque est nec fuit nec futurum est,
Mihi praedicas.

SOSIA.

Eccere iam tuatim

Facis, tuis uti nulla apud te fides sit.

AMPHITRVO.

Quid est? quo modo? Iam quidem hercle ego tibi
istanc 400

Scelestam, scelus, linguam abscindam!

SOSIA.

Tuos sum:

Proinde, ut commodum est et lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar haec, uti facta sunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.

AMPHITRVO.

Scelestissime, audes, mihi praedicare, 405
Domi te esse nunc, qui hic ades?

SOSIA.

Vera dico.

AMPHITRVO.

Malum quod tibi di dabunt, atque ego hodie
Dabo!

SOSIA.

Istuc tibi est in manu: nam tuos sum.

AMPHITRVO.

Tun' me, verbero, audes, herum, ludificari?
Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo
antehac 410

Vidit, nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?

SOSIA.

Profecto, ut loquor, res ita est.

AMPHITRVO.

Iupiter te

Perdat!

SOSIA.

Quid mali sum, here, tua ex re promeritus?

AMPHITRVO.

Rogasne, inprobe, etiam, qui ludos facis me? 415

SOSIA.

Merito mihi maledicas, si non id ita factum est;
Verum haud mentior, resque uti facta dico.

AMPHITRVO.

Ebrius hic homo est, ut opinor.

SOSIA.

Vtinam ita essem!

AMPHITRVO.

Optas, quae facta. t. t.

SOSIA.

Egone?

AMPHITRVO.

Tu istic! Vbi bibisti?

SOSIA.

Nusquam equidem bibi.

AMPHITRVO.

Quid hoc sit

Hominis?

SOSIA.

Equidem decies dixi: domi ego sum, inquam, —
ecquid audis? — 420

Et apud te adsum Sosia idem. Satin' hoc plane,
satin' diserte,

Here, nunc videor tibi locutus?

AMPHITRVO.

Vah, apage a me!

SOSIA.

Quid est negoti?

AMPHITRVO.

Pestis tenet te.

SOSIA.

Nam quid istuc, quod dicis? Equidem va-
leo et salvos

Sum recte, Amphitruo.

AMPHITRVO.

At ted ego pol hodie faciam, proinde ac
meritus,

Minus ut valeas et miser sis, salvos domum si rediero iam! 425

Sequere sis, qui herum ludificas dictis delirantibus, t. t. c.

Qui, quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi,

Nunc venis etiam ultro inrisum dominum; quae neque fieri

Possunt, neque fando unquam accepit quisquam, profers, carnufex,

Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia! 430

SOSIA.

Amphitruo, miserruma istaec miseria est servo bono, Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.

AMPHITRVO.

Quo id, malum, pacto potest nam (mecum argumentis puta)

Fieri, nunc ut tute hic sis et domi? id dici volo.

SOSIA.

Sum profecto et hic et illi. Hoc quoivis mirari licet, 435

Neque tibi istuc mirum mage videtur, quam mi, Amphitruo.

AMPHITRVO.

Quomodo?

SOSIA.

Nihilo, inquam, mirum mage tibi istuc quam mihi,

Neque, ita me di ament, credebam primo mihi-met Sosiae,

SOSIA.

Tuos est servos.

AMPHITRVO.

Mihi quidem uno te plus etiam est,
quam volo,
Neque, postquam sum natus, habui nisi te servom
Sosiam.

SOSIA.

At ego nunc, Amphitruo, dico, Sosiam servom tuom,
Praeter me alterum, inquam, adveniens faciam ut
obfendas domi,
Davo prognatum patre eodem, quo ego sum, for-
ma, aetate item, 455
Qua ego sum. Quid opus verbis? geminus Sosia
hic factust tibi.

AMPHITRVO.

Nimia memoras mira. Sed vidistin' uxorem meam?

SOSIA.

Quin introire in aedis nunquam licitum est.

AMPHITRVO.

Quis te prohibuit?

SOSIA.

Sosia ille, quem iamdudum dico, is, qui me con-
tudit.

AMPHITRVO.

Quis istic Sosia est?

SOSIA.

Ego, inquam! quotiens dicundum est tibi? 460

AMPHITRVO.

Sed quid ais? num obdormivisti dudum?

SOSIA.

Nusquam gentium.

AMPHITRVO.

Ibi forte istum si vidisses quendam in somnis Sosiam.

SOSIA.

Non soleo ego somniculose herid imperia persequi:
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me iamdudum vigilans pugnis contudit. 465

AMPHITRVO.

Quis homo?

SOSIA.

Sosia, inquam, ego ille! quaeso, non me intellegis?

AMPHITRVO.

Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.

SOSIA.

Verum actutum nosces.

AMPHITRVO.

Quem?

SOSIA.

Illum nosces servom Sosiam.

AMPHITRVO.

Sequere hac igitur me: nam mi istuc primum exquisito est opus.

Sed vide ex navi eferantur, quae imperavi, iam omnia! 470

SOSIA.

Et memor sum et diligens, ut, quae imperes, compareant.

Non ego cum vino simitud ebibi imperium
tuom.

AMPHITRVO.

Vtinam di faxint, infecta re dicta eveniant tua!

ALCVMENA. AMPHITRVO. SOSIA.

ALCVMENA.

Satin' parva res est voluptatum in vita atque in
aetate agunda, b. s. II, 2
Prae quam quod molestum est? Ita quoi in aetate
hominum est comparatum, 475
Ita dis est placitum, Voluptati ut Moeror comes
consequatur.
Quin incommodi plus malique eloco adsit, boni si
obtigit quid.
Nam ego id nunc experior domo, atque ipsa de me
scio, quoi voluptas
Parumper data est, dum viri mei potestas fuit mi-
hi videndi
Noctem unam modo, atque is repentino abiit a med
hinc ante lucem: 480
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abest,
quem ego amo praeter omnis;
Plus aegrid ex habitu viri quam ex adventu volup-
tatis cepi.
Sed hoc me beat saltem, quod perduellis vicit,
et domum laudis conpos revenit! b. o.
Id solatio est! Absit, dum laude parta domum re-
cipiat se! Feram et perferam usque

Abitum eius animo fortid atque obfirmato! Id modo si mercedis datur mi, ut meus vir 485
Victor belli clueat: satis mi esse ducam. Virtus
praemium est optimum! virtus omnibus
anteit profecto! libertas, salus, vita, res et parentes et patria et prognati,
Tutantur, servantur. Virtus omnia in sese habet! omnia adsunt bona, quem penes est virtus!

AMPHITRVO.

Edepol me uxori exoptatum credo adventurum
domum, t. t. c.
Quae me amat, quam contra amo; praesertim re
gesta bene, 490
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratust:
Eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus.
Certe enim, me illi expectatum optatae venturum,
scio.

SOSIA.

Quid? me expectatum non rere amicae venturum
meae?

ALCVMENA.

Meus vir hic quidem est.

AMPHITRVO.

Sequere hac tu.

ALCVMENA.

Nam quid illic revortitur, 495
Dudum qui properare se aibat? an illic me tentat
sciens?
Atque id si volt experiri, suom abitum ut desiderem:
Ecastor med haud invita se domum recipit suam.

SOSIA.

Amphitruo, redire ad navim meliust nos.

AMPHITRVO.

Qua gratia?

SOSIA.

Quia domi daturus nemo est prandium advenien-
tibus. 500

AMPHITRVO.

Qui tibi nunc istuc in mentem?

SOSIA.

Quia enim sero advenimus.

AMPHITRVO.

Qui?

SOSIA.

Quia Alcumenam ante aedis stare saturam in-
tellego.

AMPHITRVO.

Gravidam ego illanc hic reliqui, quom abeo.

SOSIA.

Hei, perii miser!

AMPHITRVO.

Quid tibi est?

SOSIA.

Ad aquam praebendam commodum ad-
veni domum

Decumo post mense: ut rationem te ductare in-
tellego. 505

AMPHITRVO.

Bono animo es!

SOSIA.

Scin', quam bono animo? situlam
iam cepero:

Nunquam edepol tu mihi divini creduis post hunc
diem,
Ni ego illi puteo, si occepsod, animam omnem in-
tertraxero.

AMPHITRVO.

Sequere hac me modo! alium ego isti re adlega-
bo; ne time.

ALCVMENA.

Mage nunc iam meum officium facere, si huic eam
advorsum, arbitror. 510

AMPHITRVO.

Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam,
Quam omnium Thebis vir unam esse optumam
diudicat,
Quamque adeo cives Thebani vero rumificant
probam.

Valuistin' usque? expectatusne advenio?

SOSIA,

Haud vidi magis
Expectatum: eum salutat magis haud quisquam,
quam canem. 515

AMPHITRVO.

Et quom gravidam et quom te pulcre plenam ad-
spicio, gaudeo.

ALCVMENA.

Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas atque adpellas, quasi dudum non vi-
deris,
Quasique nunc primum domum te recipias ex ho-
stibus,
Atque me nunc proinde adpellas, quasi multo post
videris? 520

AMPHITRVO.

Imo equidem te, nisi nunc hodie, nusquam vidi
gentium.

ALCVMENA.

Cur negas?

AMPHITRVO.

Quia vera didici dicere.

ALCVMENA.

Haud aequom facit,
Qui, quod didicit, id dediscit. An periclitamini,
Quid animi habeam? Sed quid huc vos revorti-
mini tam cito?

An te auspiciam conmoratum est? an tempestas
continet, 525

Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?

AMPHITRVO.

Dudum? quam dudum istuc factum est?

ALCVMENA.

Tentas? Iampridem: modo.

AMPHITRVO.

Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis, iampri-
dem, modo?

ALCVMENA.

Quid enim censes? te ut deludam contra, lusorem
meum,

Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui
hinc abieris? 530

AMPHITRVO.

Haec quidem deliramenta loquitur.

SOSIA.

Paulisper mane,
Dum edormiscat unum somnum.

AM-

AMPHITRVO.

Quaene vigilans somniat?

ALCVMENA.

Equidem ecastor vigilo et vigilans id, quod factum
est, fabulor:

Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi.

AMPHITRVO.

Quo in loco?

ALCVMENA.

Hic in aedibus, ubi tu habitas.

AMPHITRVO.

Nunquam factum est.

SOSIA.

Non taces? 535

Quid, si e portu navis huc nos dormientis de-
tulit?

AMPHITRVO.

Hei!

Etiam tu quoque adsentaris huic?

SOSIA.

Quid vis fieri?

Non tu scis, Bacchae bacchanti si velis advorsa-
rier,

Ex insana insaniorem facies: feriet saepius;

Si obsequare, una resolves plaga.

AMPHITRVO.

- At pol quin certa res 540

Hanc est obiurgare, quae med hodie advenientem
domum

Noluerit salutare.

SOSIA.

Inritabis crabrones.

AMPHITRVO.

Tace. —

Alcumena, unum rogare te volo.

ALCVMENA.

Quidvis roga.

AMPHITRVO.

Num tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia?

ALCVMENA.

Qui istuc in mentem est tibi ex me, mi vir, per-
contarier? 545

AMPHITRVO.

Quia salutare advenientem me solebas anted at-
que adpellare itidem ut pudicae suos viros quae
sunt solent;

Eo more expertem te factam adveniens obfendi
domi.

ALCVMENA.

Ecastor equidem te certo herid advenientem eloco
Et salutavi, et, valuissesne usque, exquisivi simul, 550
Mi vir, et manum adprehendi, et osculum tetuli tibi.

SOSIA.

Tun' heri hunc salutavisti?

ALCVMENA.

Et te quoque etiam, Sosia.

SOSIA.

Amphitruo, speravi istanc tibi parituram filium;
Verum non est puero gravida.

AMPHITRVO.

Quid igitur?

SOSIA.

Insania.

AMPHITRVO.

51

ALCVMENA.

Equidem sana sum, et deos quaeso, ut salva pariam filium; 555

Verum tu magnum malum habebis, hic si suum officium facit;

Ob istuc omen, ominator, capies, quod te concedet!

SOSIA.

Enimvero praegnati oportet ad malum malum dari: Vt, quod obrodat, sit, animo si male esse occoeperit.

AMPHITRVO.

Tu me heri hic vidisti?

ALCVMENA.

Ego, inquam, si vis decies dicere.

AMPHITRVO.

In 560

Somnis fors.

ALCVMENA.

Imo vigilantem vigilans.

AMPHITRVO.

Vae misero mihi!

SOSIA.

Quid tibi est?

AMPHITRVO.

Delirat uxor.

SOSIA.

Atra bili percita est:

Nulla res tam delirantis homines concinnat cito.

AMPHITRVO.

Vbi primum tibi sensisti, mulier, impliciscier?

ALCVMENA.

Equidem ecastor sana et salva sum.

AMPHITRVO.

Cur igitur praedicas, 565

Te me heri vidisse, qui hac noctu in portum ad-
vecti sumus?Ibi coenavi, atque ibi quievi in navi noctem per-
petem,Neque pedem meum huc intuli etiam in aedis, ut
cum exercituHinc profectus sum ad Teleboas hostis, eosque ut
vicimus.

ALCVMENA.

Imo mecum coenavisti, et mecum cubuisti.

AMPHITRVO.

Quid est? 570

ALCVMENA.

Vera dico.

AMPHITRVO.

Non quidem hercle de hac re; de aliis nescio.

ALCVMENA.

Primulo diliculo abivisti ad legiones.

AMPHITRVO.

Quomodo?

SOSIA.

Recte dicit, ut conmeminit: somnium narrat tibi;
Sed, mulier, postquam experrecta es, prodigiali

Iovi

Aut mola salsa hodie, aut thure, conprecata
oportuit. 575

ALCVMENA.

Vae capiti tuo!

SOSIA.

Tua istuc refert si curaveris.

ALCVMENA.

Iterum iam hic in me inclementer dicit, atque id
sine malo.

AMPHITRVO.

Tace tu! — Tu dic: egone abs te abii hinc hodie
cum diluculo?

ALCVMENA.

Quis igitur, nisi vos, narravit mi, illi ut fuerit
proelium?

AMPHITRVO.

An et id tu scis?

ALCVMENA.

Quippe quae ex te audivi, ut urbem ma-
xumam 580
Expugnavisses, regemque Pterelam tute occideris.

AMPHITRVO.

Egone istuc dixi?

ALCVMENA.

Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.

AMPHITRVO.

Audivistin' tu me narrare hoc hodie?

SOSIA.

Vbi ego audiverim?

Hanc roga: me quidem praesente nunquam factum
est, quod sciam.

ALCVMENA.

Mirum, quin te advorsus dicat.

AMPHITRVO.

Sosia, age, me huc ad-
spice. 585

SOSIA.

Specto.

AMPHITRVO.

Vera volo loqui te, nolo adsentari mihi:
 Audivistin' tu hodie me illi dicere ea, quae illa
 autumat?

SOSIA.

Quaeso edepol, num tu quoque etiam insanis, quom
 id me interrogas,
 Qui ipse equidem nunc primum istanc tecum con-
 spicio simul?

AMPHITRVO.

Quid nunc, mulier? audin' illum?

ALCVMENA.

Ego vero, ac falsum dicere. 590

AMPHITRVO.

Neque tu illi, neque mihi, viro, ipsi credis?

ALCVMENA.

Eo fit, quia mihi
 Plurimum credo et scio, istaec facta proinde, ut
 proloquor.

AMPHITRVO.

Tun' me heri advenisse dicis?

ALCVMENA.

Tun' te abisse hodie hinc negas?

AMPHITRVO.

Nego enimvero, et me advenisse nunc primum aio
 ad te domum.

ALCVMENA.

Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram
 dedisse t. t. 595

Dono mi hodie, qua ted illi donatum esse dix-
 ras? t. t. c.

AMPHITRVO.

Neque edepol dedi, neque dixi; verum ita animatus fui,
Itaque nunc sum, ut ea te patera donem. Sed
qui istuc tibi

Dixit?

ALCVMENA.

Ego quidem ex te audivi, et ex tua accipi manu

Pateram.

AMPHITRVO.

Mane, mane, obsecro te! — Nimis demiror,
Sosia, 600
Qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc convenisti et narravisti haec
omnia.

SOSIA.

Neque edepol dixi, neque ego istam vidi, nisi tecum simul.

AMPHITRVO.

Quid hoc sit hominis?

ALCVMENA.

Vin' proferri pateram?

AMPHITRVO.

Proferri volo.

ALCVMENA.

Fiat! — Tute, Thessala, intus pateram proferto
foras, 605
Qua hodie vir meus me donavit.

AMPHITRVO.

Secede huc tu, Sosia.

Enimvero illud praeter alia mira miror maxume,
Si haec habet pateram illam.

SOSIA.

An etiam id credis, quae haec
cistellula

Tuo signo obsignata fertur?

AMPHITRVO.

Salvom signum est?

SOSIA.

Inspice.

AMPHITRVO.

Recte! ita est, ut obsignavi.

SOSIA.

Quaeso, quin tu istanc iubes 610
Pro cerrita circumferrier?

AMPHITRVO.

Edepol quin factu est opus:
Nam haec quidem edepol larüarum plena.

ALCVMENA.

Quid verbis opust?

Hem tibi pateram, eccam!

AMPHITRVO.

Cedo mi!

ALCVMENA.

Age, adspice huc sis nunc iam
Tu, qui, quae facta inficiare, quem ego hic con-
vincam palam!

Estne haec patera, qua donatus illi?

AMPHITRVO.

Summe Iupiter, 615

Quid ego video? haec ea profecto est patera! Pe-
rii, Sosia!

SOSIA.

Aut pol haec praestigiatrix mulier multo maxuma est,
Aut pateram hic inesse oportet.

AMPHITRVO.

Agedum, solve cistulam!

SOSIA.

Quid ego istanc solvam? Obsignata est recte. —

Res gesta est bene:

Tu peperisti Amphitruonem; ego alium peperisti

Sosiam; 620

Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus.

AMPHITRVO.

Certum est aperire atque inspicere.

SOSIA.

Vide sis, signi quid siet:

Ne posterius in me culpam transferas.

AMPHITRVO.

Aperi modo:

Nam haec quidem nos delirantis facere dictis postulat.

ALCVMENA.

Vnde haec igitur est, nisi abs te, quae mihi dono data est? 625

AMPHITRVO.

Opus mi est istuc exquisito.

SOSIA.

Iupiter! proh Iupiter!

AMPHITRVO.

Quid tibi est?

SOSIA.

Hic patera nulla in cistula est!

AMPHITRVO.

Quid ego audio?

SOSIA.

Id, quod verum.

AMPHITRVO.

At cum cruciatu, iam nisi adparet, tuo!

ALCVMENA.

Haec quidem adparet.

AMPHITRVO.

Quis igitur tibi dedit?

ALCVMENA.

Qui me rogat.

SOSIA.

Captas me, quia tute ab navi clanculum huc alia
via 630

Praecucurristi, atque hinc pateram tute exemisti,
atque eam

Huic dedisti, posthac rursus obsignasti clanculum.

AMPHITRVO.

Hei mihi, iam tu quoque huius adiuvas insaniam! —
Ain', heri nos advenisse huc?

ALCVMENA.

Aio; adveniensque eloco

Me salutavisti, et ego te, et osculum tetuli tibi. 635

SOSIA.

Iam illud non placet principium de osculo.

AMPHITRVO.

Perge exsequi.

ALCVMENA.

Lavisti.

SOSIA.

Au!

AMPHITRVO.

Quid, postquam lauid?

ALCVMENA.

Adcubuisti.

SOSIA.

Euge! optume!

Nunc exquire!

AMPHITRVO.

Ne interpella. — Perge porro dicere.

ALCVMENA.

Coena adposita est; concoenasti mecum; ego ad-
cubui simul.

AMPHITRVO.

In eodem lecto?

SOSIA.

St!

ALCVMENA.

In eodem.

SOSIA.

Hei, non placet convivium! 640

AMPHITRVO.

Sine modo argumenta dicat. — Quid, postquam
coenavimus?

ALCVMENA.

Te dormire aibas: mensa ablata est; cubitum
hinc abiimus.

AMPHITRVO.

Vbi cubuisti?

ALCVMENA.

In eodem tecum lecto uno in cubiculo.

AMPHITRVO.

Perdidisti!

SOSIA.

Quid tibi est?

AMPHITRVO.

Haec me modo ad mortem dedit!

ALCVMENA.

Quid iam, amabo?

AMPHITRVO.

Ne me adpella!

SOSIA.

Quid tibi est?

AMPHITRVO.

Perii miser: 645

Quia pudicitiae huius vitium, me hinc absente, est
additum.

ALCVMENA.

Obsecro ecastor, cur istuc, mi vir, ex ted audio?

AMPHITRVO.

Vir ego tuos sim? Ne me adpella, falsa, falso
nomine!

SOSIA.

Haeret hic res, si quidem haec iam mulier facta
est ex viro.

ALCVMENA.

Quid ego feci, qua istaec propter dicta dicantur
mihi? 650

AMPHITRVO.

Tute edictas facta tua, ex me quaeris, quid de-
liqueris!

ALCVMENA.

Quid ego tibi deliqui, si, quoi nupta sum, tecum
fui?

AMPHITRVO.

Tun' mecum fueris? Quid illac inpudente audacius?

Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuom!

ALCVMENA.

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet. 655

Tu si me inpudicitiai captas, capere non potes.

AMPHITRVO.

Proh di immortales, cognoscin' tu me saltem, Sosia?

SOSIA.

Propemodum.

AMPHITRVO.

Coenavin' ego heri in navi in portu Persico?

ALCVMENA.

Mihi quoque adsunt testes, qui illud, quod ego dicam, adsentiant.

SOSIA.

Nescio, quid istuc negoti dicam, nisi si quispiam 660
Est Amphitruo alius, qui forte hic, absente te,
tamen

Tuam rem curet, teque absente hic munus fungatur tuom:

Namque de illo subditivo Sosia mirum nimist;
Certe de hoc Amphitruone iam alterum mirum est
magis.

AMPHITRVO.

Nescio, quis praestigiatur hanc frustratur mulierem. 665

ALCVMENA.

Per supremi regis regnum iuro et matrem familias,

Iunonem, et vereri quam me et metuere est par
 maxume,
 Vt mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
 Contigit, quo me inpudicam faceret!

AMPHITRVO.

Vera istaec velim.

ALCVMENA.

Vera dico, sed nequidquam: quoniam non vis cre-
 dere. 670

AMPHITRVO.

Mulier es: audacter iuras.

ALCVMENA.

Quae non deliquit, decet
 Audacem esse, et confidenter pro se et proterve
 loqui.

AMPHITRVO.

Satis audacter!

ALCVMENA.

Vt pudicam condecet.

AMPHITRVO.

Verbis probas.

ALCVMENA.

Non ego illanc dotem mi esse duco, quae dos
 dicitur;

Sed pudicitiam et pudorem, sedatum et cupidi-
 nem, 675

Deum metum, parentum amorem et cognatum et
 concordiam:

Tibi morigera atque ut munifica sim bonis, pro-
 sim probis.

SOSIA.

Nae ista edepol, si vera haec loquitur, examussim
 est optuma!

AMPHITRVO.

Delenitus sum profecto ita, ut me, qui sim, nesciam.

SOSIA.

Amphitruo es profecto: cave sis, ne tu te usu per-
duis! 680

Ita nunc omnes inmutamur, postquam peregre ad-
venimus.

AMPHITRVO.

Mulier, istanc rem inquisitam certum est non
amittere.

ALCVMENA.

Edepol me lubente facies.

AMPHITRVO.

Quid ais? responde mihi.

Quid, si huc adduco tuom cognatum a navi Nau-
craten,

Qui mecum una vectust una navi; atque is si de-
negat 685

Facta, quae tu facta dicis, quid tibi aequom est
fieri?

Numquid causam dicis, quin te hoc multem ma-
trimonio?

ALCVMENA.

Si deliqui, nulla causa est.

AMPHITRVO.

Convenit. Tu, Sosia,

Duc hos intro! Ego huc ab navi mecum adducam
Naucraten.

SOSIA.

Nunc quidem praeter nos nemo est: dic mihi ve-
rum serio, 690

Ecquis alius Sosia intust, qui mei similis siet?

ALCVMENA.

Abin' hinc a me, dignus domino servos?

SOSIA.

Abeo, si iubes.

ALCVMENA.

Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi conlubi-
tum siet,Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam
malum.Quidquid est, iam ex Naucrate id cognato cog-
noscam meo. 695

I V P I T E R.

Ego sum ille Amphitruo, quoiust servos So-
sia, i. s. III, 1Idem Mercurius qui fit, quando commodum est,
In superiore qui habito coenaculo,
Qui interdum fio Iupiter, quando lubet;
Huc autem quom extemplo adventum adparo,
eloco 700

Amphitruo fio et vestitum inmuto meum.

Nunc huc honoris vestri venio gratia,

Ne hanc inchoatam transigam comoediam;

Simul Alcumenae, quam vir insontem probri

Amphitruo adcusat, venio ut auxilium feram: 705

Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,

Si id Alcumenai innocentid expetat.

Nunc Amphitruonem memet, ut occoepi semel,

Esse adsimulabod, atque in horunc familiam

Fru-

Frustrationem hodie iniciam maxumam; 710
 Post igitur demum faciam, res fiat palam,
 Atque Alcumenae in tempore auxilium feram,
 Faciamque, ut uno foetu et quod gravida ex viro, et
 Ex me quod gravida est, pariat sine doloribus.
 Mercurium iussi me continuo consequi, 715
 Si quid vellem imperare. Nunc hanc adloquar.

ALCVMENA. IVPITER.

ALCVMENA.

Durare nequeo in aedibus! ita me probri, i. s. III, 2
 Stupri, dedecoris a viro argutam meo!
 Ea, quae sunt facta, infectad esse occlamitat;
 Quae neque sunt facta, neque ego in me admisi,
 arguit; 720
 Atque id me susque deque esse habituram putat.
 Non edepol faciam, neque me perpetiar probri
 Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram,
 Aut satisfaciat mihi atque adiuret insuper,
 Nolle esse dicta, quae in me insontem protulit! 725

IVPITER.

Faciendum est mi illud, fieri quod illaec postulat,
 Si me illam amantem ad sese studeam recipere.
 Quando, ego quod feci, id factum Amphitruoni
 obfuit,
 Atque illi dudum meus amor negotium
 Insonti exhibuit: nunc autem insonti mihi 730
 Illius ira in hanc et maledicta expetent.

ALCVMENA.

Et, eccum, ipsum video, miseram qui med arguit
Stupri, dedecoris!

IVPITER.

Te volo, uxor, conloqui.

Quonam ted avortisti?

ALCVMENA.

Ita ingenium est meum:

Inimicos semper osa sum obtuerier. 735

IVPITER.

Heia autem inimicos!

ALCVMENA.

Sic est; vera praedico:

Nisi, etiam hoc falso dici, insimulaturus es.

IVPITER.

Nimis verecunda es.

ALCVMENA.

Potin', ut abstineas manum?

Nam certo si sis sanus aut sapias satis,

Quam tu inpudicam esse arbitrere et praedices, 740

Cum ea tu sermonem nec ioco nec serio

Tibi habeas, nisi sis stultior stultissimo.

IVPITER.

Si dixi, nihilo magis es, neque ego esse arbitror;

Et id huc revorti uti me purgarem tibi:

Nam nunquam quidquam meo animo fuit ae-
grius, 745

Quam postquam audivi, ted esse iratam mihi.

Cur dixisti? inquires. Ego expediam tibi.

Non edepol, quo te esse inpudicam crederem;

Verum periclitatus animum sum tuom,

Quid faceres, et quo pacto id ferre induceres. 750

Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa. Vel rogato hunc Sosiam.

ALCV MENA.

Quin huc adducis meum cognatum Naucraten
Testem, quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non venisse?

I VPITER.

Si quid dictum est per iocum, 755
Non aequom est, id te serio praevertier.

ALCV MENA.

Ego illud scio quam doluerit cordi meo!

I VPITER.

Per dexteram tuam te, Alcumena, oro: obsecro,
Da mi hancce veniam! ignosce! irata ne sies!

ALCV MENA.

Ego istaec feci verba virtute inrata: 760
Nunc quando factis me inpudicis abstinens,
Ab inpudicis dictis avorti volo:
Valeas! tibi habeas res tuas, reddas meas!
Iuben' mi comites?

I VPITER.

Sanan' es?

ALCV MENA.

Si non iubes,
Ibo egomet: duxero Pudicitiam mihi. 765

I VPITER.

Mane: arbitrato tuo iusiurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te, summe Iupiter,
Quaeso, Amphitruoni ut semper iratus sies!

ALCV MENA.

Ah, propitius sit potius!

IUPITER.

Confido fore: 770

Nam iusiurandum verum te advorsum dedi.
Iam nunc irata non es?

ALCVMENA.

Non sum.

IUPITER.

Bene facis.

Nam in hominum aetate multa eveniunt huiusmodi:
Voluptates capiunt, capiunt rursus miserias;
Irae interveniunt, redeunt rursus in gratiam; 775
Verum irae si quae forte eveniunt huiusmodi
Inter eos, rursus si reventum in gratiam est:
Bis tanto sunt amici inter se, quam prius.

ALCVMENA.

Primum cavisse oportuit, ne diceres;
Verum eadem si idem purgas, mihi patiunda sunt. 780

IUPITER.

Iube vero vasa pura adornari mihi:
Quae apud legionem vota vovi, si domum
Redissem salvos, ea ego ut exsolvam omnia.

ALCVMENA.

Ego istuc curabo.

IUPITER.

Evocate huc Sosiam:

Gubernatorem, qui in mea navi fuit, 785
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeo inpransus ludificabitur, quem ego
Amphitruonem collo hinc obstricto traham.

ALCVMENA.

Mirum, quid solus secum secreto ille agat.
Atque aperiuntur aedes; exit Sosia. 790

SOSIA. IVPITER. ALCVMENA.

SOSIA.

Amphitruo, adsum: si quid opus est, impera: imperium exsequar. t. t. c. III, 3

IVPITER.

Opportuned advenis.

SOSIA.

Iam pax est inter vos duos?

Nam quia vos tranquillos video: gaudeo, et volupe est mihi.

Atque ita servom par videtur frugi sese instituere,
Proinde heri ut sint, ipse item sit; voltum e
tu conparet; 795

Tristis sit, si heri sint tristes; hilarus sit, si gaudeant.

Sed age, responde: iam vos redistis in concordiam?

IVPITER.

Deridesne, qui scis, iamdudum haec me dixi per iocum?

SOSIA.

An id ioco dixistid? Equidem serio ac vero ratus.

IVPITER.

Habuid expurgationem: facta pax est.

SOSIA.

Optume est. 800

IVPITER.

Ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt..

SOSIA.

Censeo.

IUPITER.

Tu gubernatorem a navid evoca verbis meis
Huc Blepharonem, ut, re divina facta, mecum pran-
deat.

SOSIA.

Iam hic ero, quom illi censebis esse me.

IUPITER.

Actutum huc redi.

ALCYMENA.

Numquid vis, quin abeam iam intro, ut adparen-
tur, quibus opust? 805

IUPITER.

I sane et quantum potest parata fac sint omnia.

ALCYMENA.

Quin venis, quando vis, intro? Faxo haud quid-
quam sit morae.

IUPITER.

Recte loquere et proinde, diligentem ut uxorem
decet.

Iam hice ambo, et servos et hera, frustra sunt
duo, i. s.

Qui me Amphitruonem rentur esse; errant pro-
be. 810

Nunc tu, divined, huc fac adsis, Sosia!

Audis quae dico, tametsi praesens non ades.

Fac, Amphitruonem huc advenientem ab aedibus

Vt abigas quovis pacto conmentus sies!

Volo deludi illum, dum cum hac usuraria 815

Vxore nunc mihi morigero. Haec curata sint

Fac sis proinde adeo, ut velle med intellegis,

Atque ut ministres mihi, mihi quom sacrificem.



M E R C V R I V S.

Concedite atque abscedite omnes! de via decedite,
i. t. III, 4

Nec quisquam tam audex fuat homo, quid obviam
obsistat mihi! 820

Nam mihi quidem hercle qui minus liceat, deo,
minitarier

Populo, ni decedat mihi, quam servolo in co-
moediis?

Ille navem salvam nuntiat, aut irati adventum senis;
Ego sum Iovis dicto audiens, eius iussu nunc huc
me adfero:

Quamobrem mihi mage par est via decedere et
concedere. 825

Pater vocat me, eum sequor, eius dicto imperio
sum audiens:

Vt filium bonum patri esse oportet, itidem ego
sum patri:

Amanti supparasitor, hortor, adsto, admoneo,
gaudeo;

Si quid patri volupest, voluptas ea mihi multo ma-
xima est.

Amat? Sapit, recte facit, animo quando obsequi-
tur suo; 830

Quod omnis homines facere oportet, dum id mo-
do fiat bono.

Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater: faxo
probe

Iam hic deludatur, spectatores, vobis adspectantibus.
Capiam coronam mi in caput; med adsimulabo
esse ebrium,

Atque illuc sursum escenderod: inde optume aspel-
 lam virum 835
 De supero, quom huc accesserit. Faciam, ut sit
 madidus sobrius!
 Deinde illi actutum subferet suos servos poenas
 Sosia:
 Eum fecisse ille hodie arguet, quae ego fecero hic.
 Quid id mea?
 Meo me aequom est morigerum esse patri; eius
 studio servire addecet.
 Sed eccum Amphitruonem! advenit! iam ille hic
 deludetur probe, 840
 Siquidem vos voltis auscultando operam dare. i. s.
 Ibo intro: ornatum capiam, qui potis decet;
 Dein sursum escendam in tectum: ut illum hinc
 prohibeam.

A M P H I T R V O.

Naucraten, quem convenire volui, in navi non
 erat, t. t. c. IV, 1
 Neque domi neque in urbe invenio quemquam, qui
 illum viderit: 845
 Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia et myro-
 polia;
 Apud emporium atque in macellod, in palaestra
 atque in foro,
 In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sa-
 cras.

Sum defessus quaeritando, nusquam invenio Nau-
craten.

Nunc domum ibo atque ex uxored hanc rem per-
gam exquirere, 850

Quis fuerit, quem propter corpus suom stupri con-
pleverit?

Nam me, quam illam quaestionem inquisitam ho-
die amittere,

Mortuom satiust. Sed aedis occluserunt. Eu-
gepae!

Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt. Feriam
foris.

Aperite hoc! heus, ecquis hic est? ecquis hoc ape-
rit ostium? 855

MERCVRIVS. AMPHITRVO.

MERCVRIVS.

Quis ad foris?

AMPHITRVO.

Ego sum.

MERCVRIVS.

Quis ego sum?

AMPHITRVO.

Ita loquor.

MERCVRIVS.

Tibi Iupiter t. t. c. IV, 2

Dique omnes irati certo sunt, qui sic frangas foris.

AMPHITRVO.

Quo modo?

MERCVRIVS.

Eo modo, ut profecto vivas aetatem miser.

AMPHITRVO.

Sosia!

MERCVRIVS.

Ita; sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.

Quid nunc vis?

AMPHITRVO.

Scelestes, at etiam, quid velim, id tu me
rogas? 860

MERCVRIVS.

Ita rogo: pene ecfregisti, fatue, foribus cardines.

An foris censebas nobis poplicitus praeberier?

Quid me adspectas, stolide? quid nunc vis tibi, aut
quis tu es homo?

AMPHITRVO.

Verbero, etiam, quis ego sim, me rogitas, ulmo-
rum acheruns?

Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam fer-
ventem flagris! 865

MERCVRIVS.

Prodigum te fuisse oportet olim in adolescentia.

AMPHITRVO.

Quidum?

MERCVRIVS.

Quia senecta aetate a me mendicas malum.

AMPHITRVO.

Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba fun-
ditas!

MERCVRIVS.

Sacrufico ego tibi.

AMPHITRVO.

Qui?

MERCVRIVS.

Quia enim te macto infortunio.

AMPHITRVO.

Tun' me, carnufex? Nisi formam di meam hodie
perduint, t. t. c.
Faxo onustus bubulis sis coriis, Saturni hostia:
Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo. Foras
Mastigia, exi!

MERCVRIVS.

Larva umbratilis, tun' minis me territas?
Nisi hinc actutum fugias, si denuo pultaveris, 5
Si minusclo digito increpueris foris: hac tegula
Tuum deminuam caput: uti cum dentibus linguam
excrees!

AMPHITRVO.

Tune, furcifer, procul me meis prohibessis aedibus?

MERCVRIVS.

Tun' meas pultare foris?

AMPHITRVO.

Hasce illico demoliar!

MERCVRIVS.

Pergin'?

AMPHITRVO.

Pergod.

MERCVRIVS.

Accipe!

AMPHITRVO.

Scelus, herum? si te hodie
apprendero, ad 10
Id te redigam miseriarum, miser uti semper sies!

MERCVRIVS.

Bacchanal exercuisse te, senex, oportuit.

AMPHITRVO.

Quidum?

MERCVRIVS.

Quando servum censes me tuum.

AMPHITRVO.

Quid? Censeo,

Malum, tibi?

MERCVRIVS.

Amphitruonem praeter herum ego novi
neminem.

AMPHITRVO.

Num ne formam perdidisti? mirum, quin me norit
Sosia. 15

Scrutabor. Eho, dic mihi, quis videor? Satin'
Amphitruo?

MERCVRIVS.

Tunc Amphitruo? sanusne es? Non tibi prae-
dictum, senex,

Bacchanal te exercuisse, quom, qui sis, alium roges?
Abscede, heus, moneo! molestus ne sies, dum
Amphitruo

Cum uxore, adveniens ex hostibus, modo volupta-
tem capit! 20

AMPHITRVO.

Qua uxore?

MERCVRIVS.

Alcumena.

AMPHITRVO.

Quis homo?

MERCVRIVS.

Quotiens vis dictum tibi?

Amphitruo, herus meus! molestus ne sies!

AMPHITRVO.

Quicum cubat?

Vide, infortunium ne quaeras, qui me sic ludos
facis! —

Blandius dic, quaeso, mi Sosia! in eodemne cu-
biculo?

MERCVRIVS.

Imo, ut arbitro, corpore corpus incubat.

AMPHITRVO.

Vae misero mihi! 25

MERCVRIVS.

Lucri est, miseriam quod deputat: nam uxorem
usurariam
 Proinde est praeberere ac si tu agrum sterilem fo-
 diendum loces.

AMPHITRVO.

Sosia!

MERCVRIVS.

Quid, malum, Sosia?

AMPHITRVO.

Num tu me novisti, verbero?

MERCVRIVS.

Novi ted hominem molestum. Quine emas litigium?

AMPHITRVO.

Adhuc

Amplius? nonne herus sum tuus Amphitruo?

MERCVRIVS.

Tu Bacchus es, 30

Non Amphitruo. Quotiens tibi dictum vis? num
denuo?

Amphitruo uno cubiculo Alcumenam complexus
tenet.

Tu si pergas, hic eum sistam, nec sine tuo magno
malo!

AMPHITRVO.

Cupio, arcessi. — Di, utne pro benefactis hodie
patriam

Familiamque, aedis, uxorem, cum forma una per-
duam? 35

MERCVRIVS.

Arcessam equidem; sed de foribus tute interea sis
vide...! t. t. c.

[Credo iam, quae volebat, sacrificia, ad epulum,
conduxit.] t. t. c.

Si molestus sis, evades nunquam, quin te sacru-
ficem!

Et pugnatad illico pugna trudebat frater fratrem
 Hastad et galead. Et nostrae gentis auctorem
 cum Veneris
 Filiad anguis repsisse tellus Epirotica vidit. 20
 Sic de summis summus statuit Iupiter; sic fatum
 habet. Omnes
 Optumi nostrates claris pro factis diris aguntur.
 Fata istaec premunt me. Tantamne exantlarem
 vim cladisque
 Inpatibilis?

SOSIA.

Blepharo!

BLEPHARO.

Quid id est?

SOSIA.

Nescio quid mali suspicor. t. t. c.

BLEPHARO.

Quid?

SOSIA.

Videsis: herus salutator graditur ante foris
 suas 25

Ips e oppessulatas.

BLEPHARO.

Nihil est: famem is exspectat obambulans.

SOSIA.

Curiose! Forem enim clausit: ne praevortatur foras.

BLEPHARO.

Gannis.

SOSIA.

Nec gannio, nec latro. Si me audias, obser-
 ves: i. t. c.

Nescio quid solus secum putat. Hinc excipiam.

Ne propera!

AMPHITRVO.

Vt metuo, ne victis hostibus gloriam partam di
 expungant! t. t. 30

Totam miris moribus nostram familiam video tur-
 batam:

* * * * *

Tum vero uxor vitio, stupro, dedecore enicat me
 plena.

Sed de patera mirum est: tam erat signum ob-
signatum probe. t. t. c.

Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta,
Et Pterelam oppugnatum nostris caesum manibus
fortiter. t. t. c. 35

Attate, novi iam ludum: id opera factum est So-
siae,

Qui me hodie quoque praesentem indigne ausus
est praevortier.

SOSIA.

De med est locutus, et quae velim minus: homi-
nem cave

Congrediamur, quaeso, priusquam decoxit stoma-
chum.

BLEPHARO.

Vt lubet.

AMPHITRVO.

Si illum hodie datur mastigiam adprehendere,
ostendero, 40

Quid dolis herum sit fallere et minis incessere.

SOSIA.

Audin' tu illunc?

BLEPHARO.

Audio.

SOSIA.

Machina illaec scapulas onerat meas.

BLEPHARO.

Compellemus sis hominem.

SOSIA.

Scin', volgo quod dici solet?

BLEPHARO.

Quid dicturus, nescio; quid tibi patiundum, id fe-
re hariolor.

SOSIA.

Vetus adagium est: Famis et ira bilem in nasum
conciunt. 45

BLEPHARO.

Verum quidem. Eloco nunc compellemus alacre.
Amphitruo!

Amphitruo!

AM-

AMPHITRVO.

Audio Blepharonem. Mirum, quid veniat; tamen
Optume se offert, uxoris facta ut convincam impia.
Quid tu huc ad me, Blepharo?

BLEPHARO.

Oblitus tam cito, quom diluculo
Misti ad navim Sosiam, hodie tecum uti convi-
verem? 45

AMPHITRVO.

Nusquam factum gentium. Sed ubi ille scelus?

BLEPHARO.

Quis?

AMPHITRVO.

Sosia.

BLEPHARO.

Eccillum tibi, Amphitruo!

AMPHITRVO.

Vbi nam?

BLEPHARO.

Ante oculos. Non vides?

AMPHITRVO.

Vix video prae ira: adeo me istic hodie delirum
facit.

BLEPHARO.

Abstine, quaeso!

AMPHITRVO.

Hodie nunquam evades, quin te sacrificem!
Sine me, Blepharo!

BLEPHARO.

Ausculda, precor!

AMPHITRVO.

Ausculto: dic. — Tu, vapula! 50

SOSIA.

Qua de re nam? Num satis temperi? Non qui-
vissem ocus,

Si me Dædaleis tulissém remigiis.

BLEPHARO.

Non potuimus

Grandius gradus grandire.

L.

[6]

AMPHITRVO.

Sive is grallatorius,
Sive testudineus: certum est mi, hunc scelestum
perdere!
En foris obductas et herum ludificatum! en te-
gulas! 55
En scelus verbereum!

BLEPHARO.

Quid mali tibi fecit?

AMPHITRVO.

Rogas?

Illo ex tecto exclusum me aedibus deturbavit.

SOSIA.

Egone?

AMPHITRVO.

Tu.

Quid minitabas te facturum, si istas pepulissem
foris?

Num negas, sceleste?

SOSIA.

Quid negem ni? En testis ampliter,
Quicum venio, missus, sedulo ut vocatum duce-
rem. 60

AMPHITRVO.

Furcifer, quis misit?

SOSIA.

Qui rogat me.

AMPHITRVO.

Quando gentium?

SOSIA.

Iampridem: — modo, ubi cum uxore domi redi-
sti in gratiam.

AMPHITRVO.

Bacchus te irritassit!

SOSIA.

Nec Bacchum hodie, nec Cererem, sa-
lutem, t. t.

Ni, divinam uti rem faceres, iusseras purgarier t. t. c.
Vasa; et hunc arcessitum me mittis, tecum ut pran-
deat. 65

AMPHITRVO.

Blepharo, dispeream, si aut intus adhuc fui, aut
si hunc miserim!

Dic, ubi me liquisti?

SOSIA.

Domi te cum Alcumena coniuge.
Abs te ego abiens portum vorsus volito, hunc tuis
verbis voco:

Venimus; nec nisi nunc te video postidea.

AMPHITRVO.

Scelerum caput,
Me cum uxored Alcumena? Nunquam abis, quin
vapules!

70

SOSIA.

Blepharo!

BLEPHARO.

Amphitruo, mitte hunc gratia mea, et me
audias!

AMPHITRVO.

En mitto. t. t.

Quidvis loquere!

BLEPHARO.

Istic iamdudum maxuma mi memoravit mira.
Aut praestigiator fortasse familiam aut veneficus t. t. c.
Hac tibi excantavit. Exquire aliunde et vide,
quid siet:

Ne ante hunc excruciatum miserum facias, quam
rem intellegas.

75

AMPHITRVO.

Recte. Eamus: te advorsum uxori advocatum etiam
volo.

IVPITER. AMPHITRVO. SOSIA.

BLEPHARO.

IVPITER.

Quis tam vasto inpete has foris toto convolsit car-
dine? i. t.

Quis ante ædis tantas tamdiu turbas concitat?
 Quem si comperero, Telebois sacrificabo Mani-
 bus. t. t. c.

AMPHITRVO.

Nihil est, ut dici solet, quod hodie succedat mi-
 hi:

Deserui Blepharonem et Sosiam, ut cognatum Nau-
 cratem t. t. c. 5

Convenirem: hunc non reperi, et illos perdidit.
 Sed eos videod: ibo advorsum, uti, si quid ha-
 bent, scisciter. t. t. c.

SOSIA.

Blepharo, is, qui iit ex ædibus, herus est; hic vero
 est veneficus.

BLEPHARO.

Iupiter, quid contuor? hic non est, sed ille, Am-
 phitruo. t. t. c.

Istic si fuat, illum sane non esse oportuit, nisi
 quidem sit geminus. 10

AMPHITRVO.

Eccum cum Blepharone Sosiam: compellabo hos
 prius. t. t. c.

Sosia, tandem ad nos? esurio.

SOSIA.

Dixin' hunc veneficum?

AMPHITRVO.

Imo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem
 meam

Impudicitia implevit, per quem teneo thesaurum
 stupri!

SOSIA.

Here, si tu nunc esuris, ego volito ad te pugnus
 satur. t. t. c. 15

AMPHITRVO.

Pergin', mastigia?

SOSIA.

Abi ad Acheruntem, venefice!

AMPHITRVO.

Men' veneficum? vapula!

I VPITER.

Quae, hospes, intemperiae, ut meum tu verberes?

AMPHITRVO.

Tuom?

I VPITER.

Meum. t. t. c.

AMPHITRVO.

Mentire!

I VPITER.

I intro: dum hunc sacrafico, fac paretur
prandium,

Sosia!

SOSIA.

Ibo. Amphitruonem, ego arbitror, ita comiter
Amphitruo accipiet, uti dudum ille alter Sosia So-
siam. 20

Dum isti certant, in popinam iam devortundum est
mihi

Interea: omnis lancis detergam, omnis trullas hau-
riam!

I VPITER.

Mentiri ais me?

AMPHITRVO.

Mentire, inquam, meae corruptor fami-
liae! t. t. c.

I VPITER.

Ob istuc indignum dictum te obstricto collo hac
abripiam.

AMPHITRVO.

Vae misero mihi! 25

I VPITER.

At id oportuit praecavisse.

AMPHITRVO.

Blepharo, suppetias mihi! t. t. c.

BLEPHARO.

Consimiles sunt adeo, utri adsim, ut nesciam: ri-
xam tamen,

Vt pote, dirimam. Amphitruo duello Amphitruo-
nem perdere

Noli! linque collum, precor!

IUPITER.

Hunc tu Amphitruonem dictitas?

BLEPHARO.

Quidni? Fuit olim unus; at nunc vero partus ge-
minus est. 30

Tu dum vis esse, alter quoque non esse forma
desinit.

Quaeso, interea collum linque!

IUPITER.

Linquo: sed dic mihi, videtur t. t.
Iste Amphitruo?

BLEPHARO.

Vterque quidem.

AMPHITRVO.

Proh summe Iupiter, ubi tu hodie
Formam mi adimis?

IUPITER.

Perge quaerere!

AMPHITRVO.

Tun' Amphitruo?

IUPITER.

Tu negas? t. t. c.

AMPHITRVO.

Pernego: quando Thebis praeter me alter nemo
Amphitruo est. 35

IUPITER.

Imo praeter me; atque adeo tu, Blepharo, iudex
sies.

BLEPHARO.

Palam ego id faciam, si queo, signis. Tu responde
prius.

AMPHITRVO.

Lubens.

BLEPHARO.

Antequam cum Taphiis a te pugna est inita, quid mihi
Mandasti?

AMPHITRVO.

Vt, parata navi, clavo haereres sedulo:
Vt, fugam si nostri facerent, tuto illuc me recipere-
rem. 40

Item aliud: uti bene numatum servares marsu-
pium. t. t. c.

AMPHITRVO.

Quae pecuniae?

BLEPHARO.

Tace sis tu: meum est quaerere.
Scisti numerum tu?

IVPITER.

Talenta quinquagintad Attica.

BLEPHARO.

Hic t. t. e.

Rem examussim enarrat, et tu. Quot Philippei?

AMPHITRVO.

Duo millia.

IVPITER.

Oboli vero totidem bis.

BLEPHARO.

Vterque rem tenet probe. 45
Intus in crumena clausum alterum esse oportuit. t. t. c.

IVPITER.

Attende sis: hac dextera, ut nosti, regem mactavi
Pterelam;

Spolia ademi; et pateram, qua ille potitare solitus
est, t. t. c.

Pertuli; dono dedi meae uxori, quicum hodie
domi

Lavi, sacrificavi, cubui.

AMPHITRVO.

Hei mihi, quid audio? Vix sum apud
me: t. t. 50

Vigilans quippe dormio, vigilans somnio, vivos et
sanus intereo!

Vnicus sum ille nepos Gorgophones et Creontis,
imperator

Thebanorum, Teleboarum perduellis qui Acarna-
nes

Et Taphios vi vici, et summa regem bellica vir-
tute!

His praefeci Cephalum magni Deionei iam fi-
lium. t. t. c. 55

IUPITER.

Ego item latrones hostis bellod et virtute contudi. i. t.
 Electryonem perdiderant, nostrae et germanos con-
 iugis. i. t.
 Achaiam, Aetoliam, Phocidem, per freta Ionium et
 Aegeum et Creticum
 Vagati, vi vortebant piratica.

AMPHITRVO.

Di immortales,
 Mihi non credo: ita omnia, quae facta, illic exa-
 mussim loquitur. t. t. 60
 Vide, Blepharo!

BLEPHARO.

Vnum superest: id si suat, Amphitruones fitote
 gemini! t. t.

IUPITER.

Novi, quid dicas: cicatricem illam ex illoc vol-
 nere, t. t. c.
 Quod mi impegit Pterela.

BLEPHARO.

Eam quidem apposite.

IUPITER.

Viden' En, adspice!

BLEPHARO.

Detegite: adspiciam. — Supreme Iupiter, quid in-
 tuor? 65
 Dexterō in musclo, loco eodem, signo eodem, ad-
 paret probe
 Vtrique, ut primum coivit, rufula et sublurida!
 Rationes iacent; silet iudicium; quid agam, ne-
 scio.

BLEPHARO. AMPHITRVO. IUPITER.

BLEPHARO.

Vos inter vos istaec partite! abeo: mihi negotium
 est, t. t. c. IV, 3 870

Neque ego unquam usquam tanta mira me vidisse
censeo.

AMPHITRVO.

Blepharo, quaeso, ut advocatus mi adsis, neve
abeas.

BLEPHARO.

Vale.

Quid opust me advocato, qui, utri sim advocatus,
nescio?

IUPITER.

Intro ego hinc eo: Alcumena parturit.

AMPHITRVO.

Perii miser!

Quid ego, quid, ago, quem advocati iam atque
amici deserunt? 875

Nunquam edepol me inultus istic ludificabit, quis-
quis est:

Nam iam ad regem recta ducam me, resque ut
facta eloquar.

Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui pervorse perturbavit familiae mentem meae!
Sed ubi ille est? Intro edepol abiit, credo, ad uxore
rem meam. 880

Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc
agam,

Quem omnes mortales ignorant et ludificant, ut
lubet?

Certum est: introrumpam in aedis! ubi quemque
hominem adspexero,

Sive ancillam, sive servom, si uxorem, si adulterum,
Si patrem, si avom videbod: obtruncabo in aedi-
bus, 885

Neque me Iupiter neque di omnes id prohibebunt,
 si volent,
 Quin sic faciam, uti constitui. Pergam in aedis
 nunc iam.

BROMIA. AMPHITRVO.

BROMIA.

Spes atque opes vitae meae iacent sepultae in pe-
 ctore, i. t. V, 1
 Neque ulla est confidentia iam in corde, quin
 amiserim:
 Ita mihi videntur omnia, mare, terra, caelum, con-
 sequi: 890
 Iam ut opprimar, ut enicer! Me miseram! quid
 agam, nescio:
 Ita tanta mira in aedibus sunt facta. Vae miserae
 mihi!
 Animo male est: aquam velim! Corrupta sum at-
 que absumta sum.
 Caput dolet; neque audio, neque oculis prospicio
 satis;
 Nec miserior me femina est, neque ulla videatur
 magis: 895
 Ita herae meae hodie contigit: nam ubi parturit,
 deos invocat:
 Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus! subito ut pro-
 pere, ut valide, tonuit! t. t.
 Vbi quisque institerat, concidit. Ibi nescio quis
 maxuma i. t.

AMPHITRVO.

91

Voce exclamat: Alcumena, adest auxilium! ne
time: t. t. c.

Et tibi et tuis propitius cœli cultor advenit! 900

Exsurgite, inquit, qui terrore meo occidistis prae
metu! i. t.

Vt iacui, exsurgo. Ardere ædis censui: ita tum
confulgebant. t. t.

Ibi me inclamat Alcumena. Iam ea res me hor-
rore adficit: t. t. c.

Herilis prævortit metus: ocius adcurro, quid ve-
lit, i. t.

Ac geminos illam filios pueros peperisse conspi-
cor; 905

Neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit,
neque praevidimus.

Sed quid hoc? quis hic est senex, i. d. b.

Qui ante ædis nostras sic iacet? Numnam hunc
percussit Iupiter? i. t.

Credo edepol: nam, proh Iupiter! sepultust, qua-
si sit mortuos.

Ibo et cognoscam, quisquis est. Amphitruo hic
quidem herus meust! 910

Amphitruo!

AMPHITRVO.

Perii!

BROMIA.

Surge.

AMPHITRVO.

Interii!

BROMIA.

Cedo manum.

AMPHITRVO.

Quis me tenet?

BROMIA.

Tua Bromia ancilla.

AMPHITRVO.

Totus timeo: ita me increpuit Iupiter;
Nec secus est, quam si ab Acherunte veniam. Sed
quid tu foras

Egressa es?

BROMIA.

Eadem nos formido timidas terrore inpulit.
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. Vae
mihi, 915
Amphitruo: ita mihi animus etiam nunc abest.

AMPHITRVO.

Agedum, expedi:

Scin' me tuom esse herum Amphitruonem?

BROMIA.

Scio.

AMPHITRVO.

Vide etiam nunc.

BROMIA.

Scio.

AMPHITRVO.

Haec sola sartam mentem gestat meorum fami-
liarium.

BROMIA.

Imo omnes sani sunt profecto.

AMPHITRVO.

At me uxor insanum facit

Suis foedis factis.

BROMIA.

At ego faciam, tu idem ut aliter praedices, 920
Amphitruo: piam et pudicam tuam uxorem esse
uti scias.

De ea re signa atque argumenta paucis verbis elo-
quar.

Omnium primum Alcumena geminos peperit fi-
lios. t. t. c.

AMPHITRVO.

Ain' tu? geminos?

BROMIA,

Geminos.

AMPHITRVO.

Di me servant.

BROMIA.

Sine me dicere:

Vt scias, tibi tuaeque uxori deos esse omnis pro-
pitios. 925

AMPHITRVO.

Loquere.

BROMIA.

Postquam parturire hodie uxor occœpit tua,
Vbi utero exorti dolores, ut solent, puerperae:
Invocat deos immortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite opertod. Ibi continuo con-
tonat

Senitu maximo: ædis primo ruere rebamur tuas: 930
Aedes totae confulgebant tuae, quasi essent aureæ.

AMPHITRVO.

Quæso, absolvito hinc me extemplo, quando satis
deluseris.

Quid fit deinde?

BROMIA.

Dum haec aguntur: interea uxorem tuam
 Neque gementem neque plorantem nostrum quis-
 quam audivimus:

Ita profecto sine dolore peperit.

AMPHITRVO.

Iam istuc gaudeo, 935

Vtut erga me est merita.

BROMIA.

Mitte istaec; haec, quae dicam, accipe.
 Postquam peperit pueros, lavere iussit nos: oc-
 coepimus.

Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus! ut mul-
 tum valet!

Neque eum quisquam conligere quivit in cuna-
 bulis.

AMPHITRVO.

Nimia mira memoras! Si istaec vera sunt: divini-
 tus 940

Non metuo meae quin uxori latae suppetiae sient.

BROMIA.

Mage iam faxo mira dices. Postquam in cunas con-
 ditust:

Devolant angues iubati deorsum in inpluvium duo
 Maximi continuo, extollunt ambo capitad.

AMPHITRVO.

Hei mihi!

BROMIA.

Ne pave. Sed angues oculis omnis circumvisere; 945
 Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi;
 Ego cunas recessim rursum prorsum trahere et du-
 cere,

Metuens pueris, mihi formidans, tantoque angues

acrius

Persequi. Postquam conspexit anguis ille alter puer:

Citus e cunis exilit, facit recta in anguis inpe-

tum, 950

Alterum altera adprehendit eos manu perniciter.

AMPHITRVO.

Mira memoras! nimis formidolosum facinus prae-

dicas:

Nam mihi horror membra misero percipit dictis

tuis.

Quid fit deinde porro? loquere.

BROMIA.

Puer ambo anguis enicat.

Dum haec aguntur, voce clara inclamat uxorem

tuam . . . 955

AMPHITRVO.

Quis homo?

BROMIA.

Summus imperator divom atque hominum,

Iupiter.

Is se dixit, cum Alcumena clam consuetum cubitibus;

Eumque filium suom esse, qui illos anguis vicerit;

Alterum tuom esse dixit puerum.

AMPHITRVO.

Pol me haud pœnitet

Scilicet, boni dimidium mihi dividere cum Iove. 960

Abi domum: iube vasa pura actutum adornari

mihi:

Vt Iovis supremi multis hostiis pacem expetam.

Ego Tiresiam coniectorem mi advocabo et con-

sulam,

96 M. A. PLAVTI AMPHITRVO.

Quid faciundum censeat; simul hanc rem, ut facta
est, eloquar.

Sed quid hoc? quam valide tonuit! Di, obsecro vo-
stram fidem! 965

IUPITER. AMPHITRVO.

IUPITER.

Bono animo es: adsum auxiliod, Amphitruo, ti-
bi. i. s. V, 2

Nihil est, quod timeas: hariolos, haruspices
Mitte omnis: quae futura et quae facta, eloquar,
Multo adeo melius, quam illi: quom sim Iupiter.
Primum omnium Alcumenæ usuram corporis 970
Cepi et concubitu gravidam feci filio;
Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus: uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te immortalis adficiet gloria. 975
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haud promeruit, quamobrem vitio vorteres:
Mea vi subacta est facere. Ego in cœlum migro.


AMPHITRVO.

Faciam ita, ut iubes, et te oro, promissa ut serves
tua. t. t. c.

Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam se-
nem. 980

Nunc, spectatores, Iovis summi causa clare plaudite.

A S I N A R I A.



A R G V M E N T V M.

Amanti argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt senex uxorio:
Itaque relatum ob asinos pretium Saureæ
Numerari iussit servolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur: cedit noctem filius.
Rivinus amens ob praereptam mulierem;
Is rem omnem uxori per parasitum nuntiat:
Adcurrit uxor, ac virum ex lustris rapit.

DRAMATIS PERSONAE.

LIBANVS.
DEMAENETVS.
ARGYRIPPVS.
CLEAERETA.
LEONIDA.
PHILENIVM.
DIABOLVS.
PARASITVS.
ARTEMONA.
MERCATOR.
GREX.

P R O L O G V S.

Hoc agite, sultis, spectatores, nunc iam; i. s.
Quae quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique et dominis, atque conductoribus.

Face iam tu, praeco, nunc omnem auritum po-
plum! —

Age, nunc reside! cave modo, ne gratis. — 5
Nunc, quid processerim huc, et mihi quid vo-
luerim,

Dicam: ut sciretis nomen huius fabulae.

Nam quod ad argumentum attinet, sane breve est.

Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,

Dicam: Huic nomen graece Onagrost fabulae; 10

Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare;

Asinariam volt esse, si per vos licet.

Inest lepos ludusque in hac comedia;

Ridicula res est: date benigne operam mihi:

Vt vos, ut alias, pariter nunc Mars adiuvet.

LIBANVS. DEMAENETVS.

LIBANVS.

Sicut tuom vis unicum gnatum tuæ i. s. l, r
 Superessē vitæ, sospitem et superstitem:
 Ita te obtestor per senectutem tuam,
 Perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam:
 Si quid med erga tu hodie falsum dixeris, 5
 Vt tibi superstes uxor aetatem siet,
 Atque illa viva vivos ut pestem oppetas.

DEMAENETVS.

Per deum fidem, qua quæris, iurato mihi
 Video necesse esse eloqui, quidquid roges:
 Ita me obstinate adgressus, ut non audeam 10
 Profecto, percontanti quin promam omnia.
 Proinde actutum, istuc quid sit, quod scire ex-
 petis,
 Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.

LIBANVS.

Dic obsecro, hercle, serio, quod te rogem.
 Cave mihi mendaci quidquam!

DEMAENETVS.

Quin tu ergo rogas? 15

LIBANVS.

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

DEMAENETVS.

Quid istuc est, aut ubi istuc est terrarum loci?

LIBANVS.

Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
 Vbi vivos homines mortui incursant boves.

DEMAENETVS.

Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.

LIBANVS.

Vbi flent nequam homines, qui polentam pransi-
tant. 20

DEMAENETVS.

Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci:
Vbi fit polenta, te fortasse dicere.

LIBANVS.

At

Neque hercle ego istuc dico, neque dictum volo, 25
Teque obsecro hercle, ut, quæ locutus, despuas!

DEMAENETVS.

Fiat; geratur mos tibi.

LIBANVS.

Age, age, usque exscrea!

DEMAENETVS.

Etiamne?

LIBANVS.

Age, quæso hercle, usque!

DEMAENETVS.

Ex penitis faucibus?

LIBANVS.

Etiam amplius.

DEMAENETVS.

Nam quousque?

LIBANVS.

Vsque ad mortem volo.

DEMAENETVS.

Cave, sis, malam rem!

LIBANVS.

Vxoris dico, non tuam. 30

DEMAENETVS.

Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.

LIBANVS.

Di tibi dent, quæcunque optes!

DEMAENETVS.

Redde operam mihi.

Cur hoc ego ex te quæram, aut cur miniter tibi,
 Propterea quod me non scientem feceris,
 Aut cur postremo filio suscenseam, 35
 Patres ut faciunt ceteri?

LIBANVS.

Quid istuc novi est?

(Demiror, quid sit, et, quo evadat, sum in metu.)

DEMAENETVS.

Equidem scio iam, filius quoad amet meus
 Istanc meretricem e proxumo Philenium.
 Estne hoc, ut dico, Libane?

LIBANVS.

Rectam instas viam; 40

Ea res est. Sed eum morbus invasit gravis.

DEMAENETVS.

Quid morbi est?

LIBANVS.

Quia non suppetunt dictis data.

DEMAENETVS.

Tunc es adiutor nunc amanti filio?

LIBANVS.

Sum vero, et alter noster est Leonida.

DEMAENETVS.

Bene hercle facitis, et a me initis gratiam. 45
 Verum meam uxorem, Libane, scis, qualis siet?

LIBANVS.

Tu primus sentis; nos tamen in pretio sumus.

DEMAENETVS.

Fateor, eam esse inportunam atque incommodam.

LIBANVS.

Posterius istuc dicis, quam credo tibi.

DEMAENETVS.

Omnes parentes, Libane, liberis suis, 50
 Qui mi auscultabant, facient obsequentiam:
 Quippe qui mage amico utantur gnato et bene-
 volo.

Atque ego me id facere studeo: volo amari a meis;
 Volo me patris similem, qui causa mea
 Nauclerio ipse ornatu per fallaciam, 55
 Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem,
 Nec puduit eum, id ætatis sycphantias
 Struere, et benefactis me emere gnatum suum sibi.
 Eos me decretum est persequi mores patris.
 Nam me hodie oravit Argyrippus filius, 60
 Amanti sibi ut argenti facerem copiam;
 Et id ego percupio obsequi gnato meo:
 Volo amori eius obsecutum, volo amet me patrem.
 Quamquam illum mater arcte contenteque habet,
 Patres ut consueverunt: ego mitto omnia hæc; 65
 Præsertim, quom is me dignum, quoi concrederet,
 Habuit: me habere honorem eius ingenio decet,
 Quom me adiit, ut pudentem gnatum æquom est
 patrem:

Cupio esse amicæ quod det argentum suæ.

LIBANVS.

Cupis id, quod cupere te nequidquam intellego: 70
 Dotalem servom Saurean uxor tua
 Adduxit, quoi plus in manu sit quam tibi.

DEMAENETVS.

Argentum accepi: dote imperium vendidi.
 Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
 Viginti iam usust filio argenti minis: 75
 Face id ut paratum iam sit.

LIBANVS.

Vnde gentium?

DEMAENETVS.

Me defrudato.

LIBANVS.

Maximas nugas agis:

Nudo detrahare vestimenta me iubes.
 Defrudem te ego? Age, sis, tu sine pennis vola!
 Tene ego defrudem, quoi nihil est ipsi in manu, 80
 Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris?

DEMAENETVS.

Qua me, qua uxorem, qua tu servom Sauream
 Potes, circumduce! aufer! promitto tibi
 Nunc obfirmaturum, si id hodie ecfeceris.

LIBANVS.

Iubeas una opera me piscari in aëre, 85
 Venarier autem reticulo in medio mari.

DEMAENETVS.

Tibi optionem sumito Leonidam.
 Fabricare quidvis, quidvis conminiscere!
 Perficitote, argentum hodie ut habeat filius,
 Amicae quod det!

LIBANVS.

Quid ais tu, Demaenete? 90

[Quid, si forte in insidias devenero?]

Tun' redimes me, si me hostes interceperint?

DEMAENETVS.

Redimam.

LIBANVS.

Tum tu igitur aliquid cura, quod lubet.

DEMAENETVS.

Ego eo ad forum, nisi quid vis.

LIBANVS.

Etiamne ambulas?

DEMAENETVS.

Atque audi etiam!

LIBANVS.

Ecce!

DEMAENETVS.

Si quid tete volam, ubi eris?

LIBANVS.

Vbicunque lubitum fuerit animo meo. 95

Profecto nemo est, quem iam dehinc metuam, mihi

Ne quid nocere possiet, quom mihi tua

Oratione omnem animum ostendisti tuom;

Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc
patro.

Pergam, quo occœpi, atque ibi consilia exordiar. 100

DEMAENETVS.

Audin' tu? Apud Archibulum ero argentarium.

LIBANVS.

Nempe in forum.

DEMAENETVS.

Ibi, si quid opus fuerit.

LIBANVS.

Meminero. —

DEMAENETVS.

Non esse servos peior hoc quisquam potest,

Nec mage vorsutus, nec quo ab caveas aegrius;

Eidem homini, si quid recte curatum velis, 105

Mandes: moriri sese misere mavolet,
 Quam non perfectum reddat, quod promiserit.
 Nam ego illuc argentum tam paratum filio
 Scio esse, quam me hunc scipionem contui.

Sed quid ego cesso ire ad forum, quo ince-
 peram? 110

[Ibo atque ibi manebo apud argentarium.]

A R G Y R I P P V S.

Siccine hoc fit? foras ædibus me eiici? c. t. I, 2

Promerenti optume hoccin' preti redditur?

Bene merenti mala es, male merenti bona es!

At malo cum tuo: nam iam ex hoc loco

Ibo ego ad Trisviros, vostraque ibi nomina 115

Faxo erunt: capitis te perdam ego et filiam,

Perlecebrae, pernicies, adolescentium!

Nam mare haud est mare; vos mare acerru-
 mum:

Nam in mari reperid, hic elavi bonis.

Ingrata atque inrata esse omnia intellego, 120

Quod dedi, et quod benefeci; at posthac tibi,

Male quod potero facere, faciam, meritoque id fa-
 ciam tuo! t. t. c.

Ego pol te redigam eodem, unde orta es, ad ege-
 statis terminos!

Ego edepol te faciam, ut, quae sis nunc, et quae
 fueris, scias!

Quae priusquam istam ego adii atque amens ani-
 mum isti meum dedi, 125

ASINARIA.

109

Sordide vitam oblectabas pane, inpannis inopia; atque
æsi si erat, magnas habebas omnibus dis gratias:

Eadem nunc, quom est melius, me, quouis opera
est, ignoras mala.

Reddam ego te ex fera fame mansuetem; me specta
modo!

Nam isti quod suscenseam ipsi, nihil est; nil quidquam
meret: 130

Tuo facit iussu, tuo imperio paret: mater tu, eadem
hera es:

Te ego ulciscar! te ego, ut digna es, perdam, atque
ut de me meres!

At, scelesta, viden', ut ne id quidem dignum me
esse existumat,

Quem adeat, quem conloquatur, quoique irato supplicet?

Atque, eccam, inlecebra exit tandem, opinor, huc
ante ostium. 135

Meo modo loquar, quae volo, iam: quom intus
non licitum est mihi.

CLEAERETA. ARGYRIPPVS.

CLEAERETA.

Vnumquodque istorum verbum numis Philippeis
aureis t. t. c. I, 3

Non potest auferre hinc a me, si quis emtor venerit.

Nec recte in nos quæ tu dicis, aurum atque ar-
gentum merum est.

Fixus hic apud nos animus tuos clavo est Cupi-
dinis: 140

Remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge:
Quam mage in altum te capessis, tam æstus te in
portum refert.

ARGYRIPPVS.

Edepol istum portitorem privabo ego portorio!
Ego te dehinc, ut merita es de me et mea re,
tractare exsequar:

Quom tu med, ut meritus sum, non tractas, quæ
eiicias domo. 145

CLEAERETA.

Magis istuc percipimus lingua dici, quam factis
fore.

ARGYRIPPVS.

Solus solitudine ego ted atque ab egestate ab-
stuli:

Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.

CLEAERETA.

Solus ductato, si semper solus, quæ poscam, dabis;
Semper tibi promissum habeto hac lege, dum su-
peres datis. 150

ARGYRIPPVS.

Qui modust dando? nam nunquam tu quidem ex-
pleri potes:

Modo quom accepisti, haud multo post aliquid,
quod poscas, paras.

CLEAERETA.

Qui modust ductando, amando? nunquamne ex-
pleri potes?

Modo remisisti: continuo iam, ut remittam ad te,
rogas.

ARGYRIPPVS.

Dedi equidem, quod mecum egisti.

CLEAERETA.

Et tibi ego misi mulierem: 155

Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.

ARGYRIPPVS.

Male agis mecum.

CLEAERETA.

Quid me aducas, si facio officium meum?
Nam neque fictum usquam, neque pictum, nec
scriptum in poëmatis,
Lena ubi bene agat cum quiquam amante, quae
frugi esse volt.

ARGYRIPPVS.

Mihi quidem te parcere aequom est tandem: ut
tibi dures diu. 160

CLEAERETA.

Non tu scis? quae amanti parcat, eadem sibi parcat parum.

Piscis quasi, itidem est amator lenæ: nequam est,
nisi recens.

Is habet succum, is suavitatem; eum quovis pacto
condias,

Vel patinarium, vel assum; vorses, quo pacto
lubet.

Is dare volt; is, se aliquid posci: nam ibi de pleno
promitur, 165

Neque ille scit, quid det, quid damni faciat; illi
re studet:

Volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedi-
sequae,
Volt famulis, volt etiam ancillis; et quoque ca-
tulo meo
Subblanditur novos amator: se ut quom videat
gaudeat.

Vera dico. Ad suom quemque hominem quæstum
esse aequom est callidum. 170

ARGYRIPPVS.

Perdidici istaec esse vera damno cum magno meo.

CLEAERETA.

Si ecastor nunc habeas, quod des, alia verba per-
hibeas;

Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare
postulas.

ARGYRIPPVS.

Non meum est.

CLEAERETA.

Nec meum quidem edepol, ad te
ut mittam gratiis.

Verum aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui: 175
Quia nobis lucro fuisti potius, quam decori tibi,
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in
manum,

Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo.

ARGYRIPPVS.

Quid, si non est?

CLEAERETA.

Tibi non esse, credam; illa alio ibit
tamen.

ARGYRIPPVS.

Vbi illaec, quae dedi ante?

CLEAE-

CLEAERETA.

Abusa: nam si ea durarent mihi, 180
Mulier mitteretur ad te; nunquam quidquam po-
scerem.

Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argen-
to non emo;

Cetera, quaeque volumus uti, Græca mercamur
fide.

Quom a pistore panem petimus, vinum ex œno-
polio:

Si æs habent, dant mercem. Eadem nos discipli-
na utimur: 185

Semper oculatae manus, sunt, nostrae: credunt,
quod vident.

Vetus est „Nihili cocio est;” scis, quous? Non di-
co amplius.

ARGYRIPPVS.

Aliam nunc mi orationem despolitato praedicas,
Longe aliam mihi, inquam, præhibes nunc atque
olim, quom dabam,

Aliam atque olim, quom inliciebas me ad te blan-
de ac benedice: 190

Tum mihi ædesque adridebant, quom ad te ve-
niebam, tuæ;

Me unice unum ex omnibus te atque illam amare,
aibas mihi;

Vbi quid dederam, quasi columbae pulli in ore
ambae meo

Vsque eratis; meo de studio studia erant vostra
omnia;

Vsque adhaerebatis; ego quod iusseram, quod
volueram, 195

Faciebatis; quod nolueram aut vetueram, de industria

Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumæ.

CLEAERETA.

Non tu scis? hic noster quæstus aucupi simillimum.

Auceps quando concinnavit aream, obfundit cibum: 200

Aves adsuescunt. Facere necesse est sumtum, qui quærit lucrum.

Sæpe edunt; semel si captæ sunt, rem solvunt aucupi.

Itidem hic apud nos: ædis nobis area est; auceps sum ego;

Esca est meretrix; lectus inlex est; amatores aves:
Bene salutando consuescunt, compellando blanditer, 205

Auscultando, oratione vinnula, venustula.

Si papillam pertractabit, haud id est ab re aucupis;
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.

Haecine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu? 210

ARGYRIPPVS.

Tua ista culpa est, quæ discipulum semidoctum abs te amoves.

CLEAERETA.

Remeato audacter, mercedem si eris nactus; nunc abi.

ARGYRIPPVS.

Mane, mane! audi! dic: quid me æquom censes pro illa tibi dare,

Annum hunc ne cum quiquam alio sit?

CLEAERETA.

Tene? viginti minas,
Atque ea lege: si alius ad me prius attulerit, tu
vale.

ARGYRIPPVS.

At ego est etiam, priusquam abis, quod volo loqui.

CLEAERETA.

Dic, quod lubet. 215

ARGYRIPPVS.

Non omnino iam perii: quo peream magis, est
reliquom:

Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem; sed in
leges meas

Dabo, uti scire possis: perpetuom annum hunc
mihi uti seruiat,

Nec quemquam interea alium admittat prorsus,
quam me, ad se virum.

CLEAERETA.

Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo
viros. 220

Postremo, ut voles nos esse, syngrapham facito
adferas;

Vt voles, ut tibi lubebit, nobis legem inponito:
Modo tecum una argentum adfero; facile patiar
cetera.

Portuum simillumæ sunt ianuæ lenoniæ:

Si adfers, tum patent; si non est, quod des, ædes
non patent. 225

ARGYRIPPVS.

Interii, si non invenio ego illas viginti minas;
Et profecto, nisi ego perdo argentum, pereundum
est mihi!

Nunc pergam ad forum atque experiar opibus,
omni copia:

Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum vi-
dero;

Dignos, indignos, adire atque experiri mihi certum
est: t. t. 230

Nam si mutuas non potero, certum est, sumam
fœnore. t. t. c.

LIBANVS.

Hercle vero, Libane, nunc te meliust expergi-
scier! t. t. c. II, 1

Iam diu factum est, quom discesti ab herō atque
abiisti ad forum:

Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam;
Ibi tu ad hęc diei tempus dormitasti in otio. 235
Quin tu abs te socordiam omnem reicis, segnitiem
amoves,

Atque ad ingenium vetus vorsutum te recipis
tuom?

Serva herum! cave idem tu faxis, alii quod servi
solent,

Qui ad heri fraudationem callidum ingenium ge-
runt! —

Vnde sumam? quem intervortam? quo hanc ce-
locem conferam? 240

Inpetritum, inauguratum est; quovis admittunt
aves;

Picus et cornix ab laeva est, corvos porro ab dextera;

Consüadent: certum est vostram consequi sententiam.

Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? Non temerarium est.

Certe hercle, ego quantum ex auguriod auspicioque intellego, 245

Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut atriensi Sauræ.

Sed quid illuc, quod exanimatus currit hic Leonida?

Metuo, quod illic obscaevavit falsæ meæ fallaciæ.

LEONIDA. LIBANVS.

LEONIDA.

Vbi ego nunc Libanum requiram aut familiarem filium, t. t. c. II, 2

Vt ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia est? 250

Maxumam prædam et triumphum eis adfero adventu meo!

Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent:

Hanc quidem, quam nactus, prædam, pariter cum illis partiam.

LIBANVS.

Illic homo ædis conpilavit, more si fecit suo.

Vae illi, qui tam indiligenter observavit ianuam! 255

LEONIDA.

Aetatem ego velim servire, Libanum ut conveniam modo!

LIBANVS.

Mea quidem hercle liber opera nunquam fies ocius.

LEONIDA.

Etiam de tergo ducentas plagas prægnavantis dabo.

LIBANVS.

Largitur peculium: omnem in tergo thesaurum
gerit.

LEONIDA.

Nam si se huic occasione tempus subterdixerit: 260
Nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea;
Herum in obsidione linquet, inimicum animos au-
xerit.

Sed si mecum occasionem opprimere hanc, quæ
obvenit, studet:

Maximas opimitates gaudio ecfertissimas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque et
patri: 265

Adeo ut aetatem ambo ambobus nobis sint ob-
noxii,

Beneficio devincti nostro.

LIBANVS.

Vinctos nescio quos ait.

Non placet: metuo, in commune ne quam frau-
dem frausus sit.

LEONIDA.

Perii ego oppido, nisi Libanum invenio iam, ubi-
ubi est gentium!

LIBANVS.

Illic homo socium ad malam rem quaerit quem
adiungat sibi. 270

Non placet: pro monstro exemplum est, quando,
qui sudat, tremit.

LEONIDA.

Sed quid ego hic, properans, concesso pedibus,
lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quae loquens lacerat
diem?

LIBANVS.

Edepol infelicem hemonem, qui patronam con-
primat!
Nam si quid sceleste fecit, lingua pro illo peie-
rat. 275

LEONIDA.

Adproperabo: ne post tempus prædæ præsidium
parem.

LIBANVS.

Quæ illæc præda est? Ibo advorsum atque electa-
bo, quidquid est.
Iubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.

LEONIDA.

Gymnasium flagri, salveto.

LIBANVS.

Quid agis, custos carceris?

LEONIDA.

O catenarum colone!

LIBANVS.

Virgarum o læscivia! 280

LEONIDA.

Quot te pondod esse censes nudum?

LIBANVS.

Non edepol scio:

LEONIDA.

Scibam ego, te nescire; at pol ego, qui ted ex-
pendi, scio:

Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes
per pedes.

LIBANVS.

Quo argumento istuc?

LEONIDA.

Ego dicam, quo argumento et quo modo:
Ad pedes quando adligatum est æquom centu-
pondium, 285
Vbi manus manicæ complexæ sunt atque adductæ
ad trabem:
Nec dependis, nec propendis, quin — malus ne-
quamque sis.

LIBANVS.

Væ tibid!

LEONIDA.

Hoc testamento Servitus legat tibi.

LIBANVS.

Verbivellationem fieri compendi volo.
Quid istuc est negoti?

LEONIDA.

Certum est credere?

LIBANVS.

Audacter licet. 290

LEONIDA.

Sis amanti subvenire familiari filio:
Tantum adest boni improviso, verum connistum
malo:
Omnes de nobes carnificum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usust nobis inventa et dolis:
Tantum facinus nunc inveni ego, ut nos dicamur
duo 295
Omnium dignissimi esse, quo cruciatus confluant.

LEONIDA.

Vbinam est herus? 310

LIBANVS.

Maior apud forum est, minor hic est intus.

LEONIDA.

Iam satis est mihi.

LIBANVS.

Tum igitur tu dives factus?

LEONIDA.

Mitte ridicularia.

LIBANVS.

Mitto: istuc, istuc, quod adfers, aures expectant
meæ.

LEONIDA.

Animum adverte; ut æque mecum tu hæc scias.

LIBANVS.

Taceo.

LEONIDA.

Beas.

Meministin', asinos Arcadicos mercatori vendere 315
Pellæo atriensem nostrum?

LIBANVS.

Memini. Quid tum postea?

LEONIDA.

Hem, ergo is argentum huc remisit, quod daretur
Saureæ

Pro asinis. Adulescens venit modo, qui id argen-
tum attulit.

LIBANVS.

Vbi is homo est?

LEONIDA.

Iam devorandum censes, si conspexeris!

Dico, med esse atriensem. Sic hoc respondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, nec, qua facie sit,
scio:

Te non æquom est suscensere. Herum si vis De-
maenetum, 335

Quem ego novi, adduce: argentum non morabor
quin feras.

Ego me dixeram adducturum et me domi prae-
sto fore;

Ille in balineas iturust; inde huc veniet postea.
Quid nunc consili captandum censes? dic.

LIBANVS.

Hem, istuc ago,
Quomodo argento intervortam et advectorem et
Sauream. 340

Iam hoc opus est exasciandum: nam si ille argen-
tum prius

Hospes huc adfert, continuo nos ambo exclusi
sumus.

Nam me hodie senex seduxit solum, seorsum ab
ædibus;

Mihi tibi que interminatust, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyripo viginti essent argenti minæ; 345

Iussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam,
Defrudare; sese dixit operam promissam dare.

Nunc tu abi ad forum ad herum et narra, hæc ut
nos acturi sumus:

Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum adferat mercator pro asinis.

LEONIDA.

Faciam, ut iubes. 350

LIBANVS.

Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte ad-
venerit.

LEONIDA.

Quid ais?

LIBANVS.

Quid vis?

LEONIDA.

Pugno malam si tibi percussero,
Mox quom imitabor Sauream, caveto ne suscenseas.

LIBANVS.

Hercle vero tu cavebis, ne me attingas, si sapis:
Nae hodie malo cum auspicio nomen conmuta-
veris! 355

LEONIDA.

Quaeso aequo animo patitor.

LIBANVS.

Patitor tu item, quom ego te referiam.

LEONIDA.

Dico, ut usus fieri.

LIBANVS.

Dico hercle ego quoque, ut facturus sum.

LEONIDA.

Ne nega.

LIBANVS.

Quin promitto, inquam, hostire contra, ut
merueris.

LEONIDA.

Ego abeo; tu, iam scio, patiere. Sed quis hic
est? Is est!

Ille est ipsus! Iam ego recurro huc: tute hunc in-
 terea hic tene: 360
 Volo seni narrare.

LIBANVS.

Quin tuom officium facis ergo ac fugis?

MERCATOR. LIBANVS.

MERCATOR.

Vt demonstratae sunt mihid, hasce ædis esse oportet,
 i. t. c. II, 3
 Demaenetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta,
 Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.

LIBANVS.

Quis nostras sic frangit foris? Ohe, inquam, si
 quid audis! 365

MERCATOR.

Nemo etiam tetigit: sanusne es?

LIBANVS.

At censebam attigisse
 Propterea, huc quod habebas iter: nolo ego meas
 conservas

A tete verberarier: sane ego sum amicus nostris.

MERCATOR.

Pol haud periculum est, cardines ne foribus ec-
 fringantur,
 Si istoc exemplo tu omnibus, qui quaerunt, re-
 spondebis. 370

LIBANVS.

Ita haec morata est ianuad: extemplo ianitorem

Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem.
Sed quid venis? quid quaeritas?

MERCATOR.

Demaenetum volebam.

LIBANVS.

Si sit domi, dicam tibi.

MERCATOR.

Quid? eius atriensis?

LIBANVS.

Nihilo mage intus est.

MERCATOR.

Vbi est?

LIBANVS.

Ad tonsorem ire dixit. 375

MERCATOR.

Quom ivisset, post non rediit?

LIBANVS.

Non edepol. Quid volebas?

MERCATOR.

Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.

LIBANVS.

Qui pro istuc?

MERCATOR.

Asinos vendidit Pellæo mercatori

Mercatu.

LIBANVS.

Scio. Tu id nunc refers? Iam hic credo
eum adfuturum.

MERCATOR.

Qua facie voster Saurea est? si is est, iam scire
potero. 380

LIBANVS.

Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, comoda statura, tristi fronte.

MERCATOR.

Non potuit pictor rectius describere eius formam.

LIBANVS.

Atque hercle ipsum adeo contuor; quassanti ca-
pite incedit.

Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit. 385

MERCATOR.

Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque exple-
tus cedit:

Si med iratus tetigerit, iratus vapulabit.

LEONIDA. MERCATOR. LIBANVS.

LEONIDA.

Quid hoc sit negoti, neminem meum dictum ma-
gni facere? i. t. c. II, 4
Libanum in tonstrinam ut iusseram venire, is nul-
lus venit.

Nae ille edepol tergo et cruribus consuluit haud
decere! 390

MERCATOR.

Nimis imperiosust.

LIBANVS.

Vae mihi hodie!

LEONIDA.

Salvere iussim

Libanum libertum? iam manud emissus?

LI-

LIBANVS.

Obsecro te.

LEONIDA.

Nae tu hercle cum magno malo mihi obviam ob-
cessisti!

Cur non venisti, ut iusseram, in tonstrinam?

LIBANVS.

Hic me moratust.

LEONIDA.

Si quidem hercle nunc summum Iovem te dicas
detinuisse, 395

Atque is precator adsiet: malam rem efugies nun-
quam.

Tu, verbero, imperium meum contempsisti?

LIBANVS.

Hospes, perii!

MERCATOR.

Quaeso hercle, noli, Saurea, mea causa hunc ver-
berare!

LEONIDA.

Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit...

MERCATOR.

Quiesce, quaeso.

LEONIDA.

Qui latera conteram tua, quae obcalluere pla-
gis! — 400

Abscede ac sine me hunc perdere, qui semper
ira incendit,

Quoi nunquam rem me unam licet semel præci-
pere furi,

Quin centies eadem imperem atque obganniam; ita-
que iam hercle

Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Iussin', sceleste, ab ianuad hoc stercus hinc au-
ferri? 405

Iussin' columnis deicier operas aranearum?
Iussin' in splendorem dari bullas has foribus no-
stris?

Nihil est: tamquam si claudus sim, cum fusti est
ambulandum!

Quia triduom hoc unum modo foro dedi operam
adsiduam,

Dum reperiam, qui quæritet argentum in fœnus:
hic vos 410

Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud
æde, habitat!

Hem ergo hoc tibi!

LIBANVS.

Hospes, te obsecro, defende!

MERCATOR.

Saurea, oro,

Mea causa uti mittas.

LEONIDA.

Eho, ecquis pro vectura olivi

Rem solvit?

LIBANVS.

Solvit?

LEONIDA.

Quoi datum est?

LIBANVS.

Sticho vicario ipsi

Tuo.

LEONIDA.

Vah, delenire adparas! Scio, mihi vicarium esse, 415

Neque esse servom in aedibus, qui pluris sit, quam-
de ille.

Sed vina, quae heri vendidi vinario Exaerambo,
Iam pro his satisfecit Sticho?

LIBANVS.

Fecisse satis opinor:

Nam vidi hunc ipsum abducere et trapezitam Ex-
aerambum.

LEONIDA.

Sic dedero. Prius quae credidi, vix anno post
exegi; 420

Nunc satagit: abducit domum etiam ultro, et scri-
bit numos.

Dromo mercedem retulit?

LIBANVS.

Dimidio minus, opinor.

LEONIDA.

Quid reliquom?

LIBANVS.

Aibat reddere, quam extemplo reddi-
tum esset:

Nam retineri, ut, quod sit sibi operis locatum,
efficeret.

LEONIDA.

Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulit-
ne? 425

LIBANVS.

Non etiam.

LEONIDA.

Hem, non? Nunc, si velis: da, commoda,
homini amico!

MERCATOR.

Perii hercle, iam hic me abegerit suo odio!

LIBANVS.

Heus iam! satis tu

Audin', quae loquitur?

LEONIDA.

Audio et quiesco.

MERCATOR.

- Tandem, opinor,

Conticuit: nunc adeam optimum est, priusquam
incipit tinnire.

Quam mox mihi operam das?

LEONIDA.

Ehem, optume, quamdudum advenisti? 430

Non hercle te provideram. Quaeso, ne vitio vortas:
Ita iracundia obstitit oculis.

MERCATOR.

Non mirum factum est.

Sed, si domi est, Demaenetum volebam.

LEONIDA.

Negat esse intus;

Verum istuc argentum tamen mihi si vis denumerare:
Repromittam, istoc nomine solutam rem futu-
ram. 435

MERCATOR.

Sic potius, ut Demaeneto tibi praesente reddam.

LIBANVS.

Herus istunc novit, atque herum hic.

MERCATOR.

Hero huic praesente reddam.

LIBANVS.

Da modo meo periculo: rem salvam ego exhibebo:

Nam si sciat noster senex, fidem non esse huic habitam:

Suscenseat, quoid omnium rerum ipse semper credit. 440

LEONIDA.

Non magni pendo, ne duit! si non volt, sic sine adstet.

LIBANVS.

Da, inquam! Vah, formido miser, ne hic me tibi arbitretur

Suasisse, sibi ne crederes. Da, quæso, ac ne formida!

Salvom hercle erit.

MERCATOR.

Credam fore, dum ipse quidem in manu habeo.

Peregrinus ego sum; Sauream non novi.

LIBANVS.

At nosce sane! 445

MERCATOR.

Sit, non sit, non edepol scio; si is est, eum esse oportet:

Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.

LEONIDA.

Heracle istum di omnes perduint! — Verbo cave supplicassis!

MERCATOR.

Ferox est: viginti minas meas tractare sese!

LEONIDA.

Nemo accipit: aufer te domum! abscede hinc! molestus ne sis! 450

MERCATOR.

Nimis iracunde! Non decet superbum esse hominem servom.

LEONIDA.

Malo hercle iam magno tuo, ni isti nec recte dicis!

LIBANVS.

Inpure, nihili, non vides irasci?

LEONIDA.

Perge porro!

LIBANVS.

Flagitium hominis, da, obsecro, argentum huic: ne male loquatur!

MERCATOR.

Malum hercle vobis quæritis.

LEONIDA.

Crura hercle defringentur, 455

Ni istum inpudicum percies!

LIBANVS.

Perii hercle! — Age, inpudice!

LEONIDA.

Sceleste!

LIBANVS.

Non audes mihi, sceleste, subvenire?

LEONIDA.

Pergin' precari pessumo?

MERCATOR.

Quæ res? tun' libero homini

Male, servos, loquere?

LEONIDA.

Vapula!

MERCATOR.

Id tibi quidem hercle fiet,

Vt vapules, Demaenetum simulac conspexero ho-
die! 460

In ius voco te.

LEONIDA.

Non eo.

MERCATOR.

Non is? memento.

LEONIDA.

Memini.

MERCATOR.

Dabitur pol supplicium mihi de tergo vostro!

LEONIDA.

Vae te!

Tibi quidem supplicium, carnufex, de nobis?

MERCATOR.

Et iam!

Pro vestris dictis maledicis poenae pendentur mi
hodie!

LEONIDA.

Quid, verbero ...

MERCATOR.

Ain' tu?

LEONIDA.

Furcifer? herum fugitare censes? 465

I nunc iam ad herum!

MERCATOR.

Quin vocas iamdudum?

LEONIDA.

Quin volebam

Nunc demum!

MERCATOR.

Tam nunquam hinc feres argenti numum,
nisi me

Dare iusserit Demaenetus.

LEONIDA.

Ita facito: age ambula ergo
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum, quam tu.

MERCATOR.

Scilicet ita res est.

LEONIDA.

Sequere hac ergo. 470
Praefiscini hoc nunc dixerim: nemo etiam me ad-
cusavit
Merito meo, neque med Athenis alter hodie quis-
quam,
Cui credi recte æque putent.

MERCATOR.

Fortasse; sed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc ar-
gentum ignoto.
Lupus est homo homini, non homo, quom, qualis
sit, non novit. 475

LEONIDA.

Iam nunc secundas mihi facis? scibam, huic te ca-
pitulo hodie
Facturum satis pro iniuria. Quamquam ego sum
sordidatus,
Frugi tamen sum, nec potest peculium enume-
rari.

MERCATOR.

Fortasse.

LEONIDA.

Etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator,
 Absente hero, dives mihi talentum argentum so-
 lus) 480
 Soli adnumeravit, credidit mihi, neque in eo de-
 ceptus.

MERCATOR.

Fortasse!

LEONIDA.

Atque etiam tu quoque ipse, si esses per-
 contatus
 Me ex aliis: scio pol, crederes nunc, quod fers.

MERCATOR.

Haud negassim.

CLEAERETA. PHILENIVM.

CLEAERETA.

Nequeon' ego ted interdictis facere mansuetam
 meis? t. t. c. III, 1
 An ita tu es animata, ut quae expers matris impe-
 periis sies? 485

PHILENIVM.

Vbi piem Pietatem, si istoc more moratam tibi
 Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?

CLEAERETA.

An decorum est advorsari meis te præceptis quidem?
 Hoccine est pietatem colere, matri imperium mi-
 nuere?

PHILENIVM.

Néque, quae recte faciant, culpo; neque, quae delinquent, amo. 490

CLEAERETA.

Satis dicacula es amatrix.

PHILENIVM.

Mater, is quaestust mihi:
Lingua poscit, corpus quaerit, animus hortat, res
monet.

CLEAERETA.

Ego te volui castigare: tu mi adcusatrix ades.

PHILENIVM.

Neque edepol te adcusos, neque me id facere fas
existumo;

Verum ego meas queror fortunas, quom illo, quem
amo, prohibeor. 495

CLEAERETA.

Ergon' pars orationis de die dabitur mihi
Vna, aut et meam loquendi partem et tuam trado tibi,
Ad loquendum atque ad tacendum ut tute habeas
portisculum?

PHILENIVM.

Quin pol si reposivi remum sola ego in casteria:
Vbi quiesco, familiae omnis causa consistit tibi. 500

CLEAERETA.

Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissumam?

Quotiens te vetui Argyrippum, filium Demaeneti,
Compellare aut contrectare, conloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari iussit ad nos? an tibi
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro
datis? 505

Ultero amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi
- iubes.

Illos, qui dant, eos derides; qui deludunt, deperis.
An te id expectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si mater moriatur sua?

Ecastor periculum magnam familiam portenditur, 510
Dum eius expectamus mortem, ne nos moriamur
fame.

Nunc adeo nisi huc mihi argenti adfert viginti
minas:

Nam ille ecaster hinc trudetur largus lacrumarum
foras.

Hic dies summa est apud me inopiae excusatio.

PHILENIVM.

Patiar, si cibo carere me iubeas, mater mea. 515

CLEAERETA.

Non veto te amare, qui dant, quod amentur
gratia.

PHILENIVM.

Quid, si hic animus occupatus, mater, quid faciam?
mone.

CLEAERETA.

Hem,

Meum caput contemples, si quidem ex re consul-
tas tua.

PHILENIVM.

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur
suam: 520

Sine me amare unum Argyrippum animi causa,
quem volo.

CLEAERETA.

Intro abi: nam te quidem edepol nihil est impudentius.

PHILENIVM.

Audentem dicto, mater, produxisti filiam.

LEONIDA. LIBANVS.

LEONIDA.

Perfidiae laudes gratiasque habemus merito magnas, i. t. c. III, 2

Quom nostris sycophantiis, dolis astutiisque, 525

Scapularum confidentia, virtute ulmorum, freti

Advorsum stimulos, laminas crucesque conpedesque,

Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,

Inductoresque acerrumos gnarosque nostri tergi,

[Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt,]

Eas nunc legiones, copias, exercitusque forum 530

Vi, pugnando ac periuriis nostris, euoe! potiti.

Virtute id huius conlegae est meaque comitate

Factum.

LIBANVS.

Qui me vir fortior ad subferendas plagas?

LEONIDA.

Edepol virtutes qui tuas nunc possit conlaudare,

Sicut ego possum, quae domi duellique male fecisti: 535

Nae illa edepol pro merito tuo memorari multa possunt:

Fidentem ubi fraudaveris; ubi hero infidelis fueris;

Vbi verbis conceptis sciens lubenter periuraris;
 Vbi parietes perfoderis; in furto ubi sis prehensus;
 Vbi sæpe causam dixeris pendens advorsus octo 540
 Astutos, audacis viros, valentis virgatores.

LIBANVS.

Fateor, profecto, ut prædicas, Leonida, esse vera;
 Verum edepol næ etiam tua quoque malefacta ite-
 rari multa,

Et vero, possunt: ubi sciens fideli infidus fueris:
 Vbi prensus in furto sies manifesto verberatus; 545
 Vbi periuraris; ubi sacro manus sis admolitus;
 Vbi heris damno et molestiæ et dedecori sæpe
 fueris;

Vbi, creditum quod sit, tibi datum esse pernegaris;
 Vbi amicæ, quam amico tuo, fueris magis fidelis;
 Vbi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo 550
 Validos lictores, ulmeis adfectus lentis virgis.
 Num male relata est gratia? ut conlegam conlau-
 davi?

LEONIDA.

Vt meque teque maxume atque ingenio nostro
 decuit.

LIBANVS.

Iam omitte ista atque hoc, quod rogo, responde.

LEONIDA.

Rogita quidvis.

LIBANVS.

Argenti viginti minas habesne tu?

LEONIDA.

Hariolare. 555

Edepol senem Demaenetum lepidum fuisse nobis!
 Vt adsimulabat, Sauream med esse, quam facete!

Nimis ægre risum continid, ubi hospitem incla-
mavit:

Quod sese absente mihi fidem habere noluisset.
Vt memoriter me Sauream vocabat atriensem! 560

LIBANVS.

Manedum!

LEONIDA.

Quid est?

LIBANVS.

Philenium estne hæc, quæ intus exit, atque
Vna Argyrippus?

LEONIDA.

Opprime os! est: clam subauscultemus.

LIBANVS.

Lacrumantem lacinia tenet lacrumans. Quidnam
esse dicam?

LEONIDA.

Tacite auscultemus.

LIBANVS.

Attate, modo hercle in mentem venit:
Nimis vellem habere perticam.

LEONIDA.

Quoi re?

LIBANVS.

Qui verberarem 565
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumena.



ARGYRIPPVS. PHILENIVM. LIBANVS.
LEONIDA.

ARGYRIPPVS.

Cur me retentas?

PHILENIVM.

Quia tuid amans abeuntis egeo. i. t. c. III, 3

ARGYRIPPVS.

Vale!

PHILENIVM.

Ah, aliquantod amplius valerem, si hic maneres.

ARGYRIPPVS.

Salve!

PHILENIVM.

Salvere me iubes, quoi tu abiens adfers mor-
bum?

ARGYRIPPVS.

Mater supremum tua mihi dixit: domum ire ius-
sit. 570

PHILENIVM.

Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.

LIBANVS.

Homo hercle hinc exclusust foras.

LEONIDA.

Ita res est.

ARGYRIPPVS.

Mitte, quæso.

PHILENIVM.

Quo nunc abis? quin tu hic manes?

ARGYRIPPVS.

Nox si voles, manebo.

LIBANVS.

Audin' hunc, opera ut largus est nocturna? nunc
enim inter-

dus negotiosus est (videlicet Solonem): 575

Leges ut conscribat, quibus se populus teneat —
gerrae.

Qui sese parere adparent huius legibus: profecto
Nunquam bonæ frugi sient, dies noctisque potent.

LEONIDA.

Næ iste hercle ab ista non pedem discedat, si li-
cessit,

Qui nunc festinat atque ab hac minatur sese
abire. 580

LIBANVS.

Sermoni iam finem face tuo: huius sermonem ac-
cipiam.

ARGYRIPPVS.

Vale!

PHILENIVM.

Quo properas?

ARGYRIPPVS.

Bene valed! apud Orcum te videbo:
Nam equidem me iam, quantum potest, a vita ab-
iudicabo.

PHILENIVM.

Cur tu, obsecro, inmerito meo me morti dedere
optas?

ARGYRIPPVS.

Ego te, quam si intellegam deficere vita, iam
ipse 585

Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam ad-
dam?

PHI-

PHILENIVM.

Cur ergo minitaris tibi, te vitam esse amissu-
rum?

Nam quid me facturam putas, si istuc, quod dicis,
faxis?

Mihi certum est ecficere omnia in me eadem, quæ
tu in te faxis?

ARGYRIPPVS.

O melle dolci dulcior mihi tu es!

PHILENIVM.

Certe enim tu vita es! 590

Conplectere.

ARGYRIPPVS.

At facio lubens.

PHILENIVM.

Vtinam sic ecferamur!

LEONIDA.

O Libane, ut miser homo est, qui amat!

LIBANVS.

Quid amat? Imo hercle vero

Qui pendet, multo est miserior.

LEONIDA.

Scio, qui periculum feci.

LIBANVS.

Circumsistamus; alter hinc, hinc alter adpellemus.

Here, salve! Sed num fumus est hæc mulier, quàm
amplexare? 595

ARGYRIPPVS.

Quidum?

LIBANVS.

Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo ro-
gavi.

ARGYRIPPVS.

Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.

LIBANVS.

Equidem hercle nullum perdidid, eo, quia nunquam ullum habui.

LEONIDA.

Philenium, salve!

PHILENIUM.

Dabunt di, quæ velitis, vobis!

LEONIDA.

Noctem tuam et vini cadum velim, si optata
fiant. 600

ARGYRIPPVS.

Verbum cave faxis, verbero!

LEONIDA.

Tibi equidem, non mihi, opto.

ARGYRIPPVS.

Tum tu igitur loquere, quod lubet.

LEONIDA.

Hunc hercle verberare.

LIBANVS.

Quisnam istuc adcredat tibi, cinæde calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo ted habeas verberari?

ARGYRIPPVS.

Vt vostræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longe!
605

LIBANVS.

Quid?

ARGYRIPPVS.

Hodie nunquam ad vesperum vivam!

LIBANVS.

Quapropter, quæso?

ARGYRIPPVS.

Quia ego hanc amo, et med hæc amat; huic quod
dem, nusquam quidquam est:
Hinc med amantem ex ædibus delegit huius mater.
Argenti viginti minæ med ad mortem adpulerunt,
Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus di-
xit: 610

Vt hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se, hunc
annum totum.

Videtin', viginti minæ quid pollent, quidve possunt?
Ille, qui illas perdit, salvos est; ego, qui non per-
do, pereo.

LIBANVS.

Iam dedit argentum?

ARGYRIPPVS.

Non dedit.

LIBANVS.

BONO animo es! ne formida!

LEONIDA.

Secede huc, Libane: te volo.

LIBANVS.

Si quid vis.

ARGYRIPPVS.

Obsecro vos, 615

Eadem istæc opera suaviust complexos fabulari.

LIBANVS.

Non omnia eadem æque omnibus, here, suavia
esse scito.

Vobis est suave amantibus complexos fabulari;
Ego complexum huius nil moror; meum autem
hic adspernatur.

Proinde istuc facias ipse, quod faciamus nobis
suades. 620

ARGYRIPPVS.

Ego vero, et quidem edepol lubens. Interea, si
videtur,

Concedite istuc.

LEONIDA.

Vin', herum deludi?

LIBANVS.

Dignust sane,

LEONIDA.

Vin' faciam, ut me Philenium præsentem hoc am-
plexetur?

LIBANVS.

Cupio hercle.

LEONIDA.

Sequere hac.

ARGYRIPPVS.

Ecquid est salutis? satis locuti?

LEONIDA.

Auscultate atque operam date, et mea dicta de-
vorate! 625

Primum omnium, servos tuos nos esse, non negamus;

Sed si tibi argenti minæ viginti proferentur:

Quo nos vocabis nomine?

ARGYRIPPVS.

Libertos.

LEONIDA.

Non patronos?

ARGYRIPPVS.

Id potius.

LEONIDA.

Viginti minæ hic insunt in crumena;

Has ego, si vis, tibi dabo.

ARGYRIPPVS.

Di te servassint semper, 630

Custos herilis, decus populi, thesaurus copiarum,

Salus interior corporis, amorisque imperator!

Hic pone, hic istam conloca crumenam in collo
plane!

LEONIDA.

Nolo ego te, qui herus mihi sies, onus istuc su-
stinere.

ARGYRIPPVS.

Quin tu labore liberas te, atque istam inponis in
me? 635

LEONIDA.

Ego baiulabo; tu, ut decet dominum, ante me ito
inanis!

ARGYRIPPVS.

Quid nunc? quid est? quin tradis huc crumenam
prægnatem ære?

LEONIDA.

Hanc, quoi daturus hanc, iube petere atque ora-
re mecum:Nam istuc proclive est, quod iubes, me plane con-
locare.

PHILENIVM.

Da, meus ocellus, mea rosa! da, mi anime, mea
voluptas, 640

Leonida, argentum mihi! ne nos deiunge amantis

LEONIDA.

Dic igitur tuom passerulum, gallinam, coturnicem!
Agnellum, hædillum, me tuom dic esse, vel vi-
tellum!

Prehende auriculis! compara labella cum labellis!

ARGYRIPPVS.

Ten' osculetur, verbero?

LEONIDA.

Quam vero indignum visum est? 645

Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.

ARGYRIPPVS.

Quidvis egestas imperat: fricentur.

PHILENIUM.

Da nunc, oro!

Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti hero salutem!

Redime istoc benefacto te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento!

LEONIDA.

Nimis bella es atque amabilis; et si hoc meum esset: hodie 650

Nunquam me orares, quin darem! Illunc te orare, meliust:

Ille hanc mihi servandam dedit. I sane, bella, belle! —

Cape hoc sis, Libane!

ARGYRIPPVS.

Furciter, etiamne delusisti?

LEONIDA.

Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricaret. —

Age sis tu in partem nunc iam hunc delude, atque amplexare hanc! 655

LIBANVS.

Taceas! me spectes!

ARGYRIPPVS.

Quin ad hunc, Philenium, adgredimur,

Virum quidem pol optimum, et non similem furis huius?

LIBANVS.

Inambulandum est. Nunc mihi vicissim supplicabunt.

ARGYRIPPVS.

Quæso hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari:

Da mi istas viginti minas! vides me amantem egere. 660

LIBANVS.

Videbitur; factum volo; redito huc conticinio. Nunc istanc tantisper iube petere atque orare mecum.

PHILENIVM.

Amandone exorariet te vis, an osculando?

LIBANVS.

Enimvero utrumque.

PHILENIVM.

Ergo obsecro te: utrumque nostrum serva!

ARGYRIPPVS.

O Libane, mihi, patrone mi, trade istuc!

LIBANVS.

Mage decorum est, 665

Libertum potius, quam patronum, onus in via portare.

PHILENIVM.

Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris, Amabo, faciam, quod voles: da istuc argentum nobis!

LIBANVS.

Dic igitur me tuam anaticulam, columbam, vel catellum,

Hirundinem, monedulam, passerulum, putillum! 670
 Fac proserpentem bestiam me: duplicem ut ha-
 beam linguam!

Circumdato me brachiis! meum collum circum-
 plecte!

ARGYRIPPVS.

Ten' complectatur, carnufex?

LIBANVS.

Quam vero indignus videor?
 Ne istuc nequidquam dixeris in me tam indignum
 dictum:

Vehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre
 speres. 675

ARGYRIPPVS.

Ten' ego veham?

LIBANVS.

Tun' hoc feras argentum hinc aliter
 a me?

ARGYRIPPVS.

Perii hercle! Sed si herum quidem est decorum
 vehere servom:

Inscende.

LIBANVS.

Sic isti solent superbi subdomari.
 Aستا igitur, ut consuetus es puer olim! — Scin',
 ut dicam? —

Hem, sic! Abi! Laudo, nec te equo est equos ma-
 ge ullus sapiens. 680

ARGYRIPPVS.

Inscende actutum!

LIBANVS.

Ego fecero. — Hem, quid istuc? ut tu
 incedis?

Demam hercle iam tuo de ordeo, tolutim ni
badizas!

ARGYRIPPVS.

Amabo, Libane, iam satist?

LIBANVS.

Nunquam hercle hodie exorabis:
Nam iam calcari quadrupedem agitabo advorsum
clivom;

Postidea ad pistores dabod: ut ibi cruciere cur-
rens. 685

Adsta: ut descendam nunc iam in proclivi, quam-
quam nequam es!

ARGYRIPPVS.

Quid nunc? quoniam ambo, amabo, nos, ut lubi-
tum est, delusistis:

Datisne argentum?

LIBANVS.

Si quidem mihi statuam et aram statuis,
Atque, ut deo, mi hic inmolas bovem: nam ego
tibi Salus sum.

LEONIDA.

Etiam tu, here, istum abs te amoves, ac me vicis-
sim adgredere, 690

Atque illa, sibi quæ hic iusserat, mihi statuis, sup-
plicasque?

ARGYRIPPVS.

Quem te autem divom nominem?

LEONIDA.

Fortunam, atque Obsequentem.

ARGYRIPPVS.

Iam istoc es melior.

LIBANVS.

An quid olim homini est salute melius?

ARGYRIPPVS.

Licet laudem Fortunam: tamen, ut ne Salutem
culpem.

PHILENIUM.

Ecastor ambæ sunt bonæ.

ARGYRIPPVS.

Sciam, ubi boni quid dederint. 695

LEONIDA.

Opta id, quod contingat tibi vis.

ARGYRIPPVS.

Quid, si optaro?

LEONIDA.

Eveniet.

ARGYRIPPVS.

Opto annum hunc perpetuom mihi huius operas.

LEONIDA.

Inpetrasti.

ARGYRIPPVS.

Ain' vero?

LEONIDA.

Certe, inquam.

LIBANVS.

Ad me adi vicissim, atque experire.

Exopta id, quod vis maxume tibi evenire: fiet!

ARGYRIPPVS.

Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, quodius
inopia est, 700
Viginti argenti commodas minas, huius quas dem
matri.

LIBANVS.

Dabuntur. Animo sis bono face: exoptata obtin-
gent!

ARGYRIPPVS.

Vt consuevere homines, Salus frustatur et Fortuna.

LEONIDA.

Ego huic argento caput fui hodie reperiundo. 705

LIBANVS.

Ego pes fui.

ARGYRIPPVS.

Quin nec caput nec pes sermonum ad-
paret,

Nec, quid dicatis, nec, me cur ludatis, scire possum.

LIBANVS.

Satis iam delusum censeo: nunc rem, ut est, elo-
quamur.Animum, Argyrippe, advorte sis. Pater nos ferre
iussit

Hoc argentum ad te.

ARGYRIPPVS.

Vt tempore opportuneque attulistis!

LIBANVS.

Hic inerunt viginti minæ bonæ, mala opera par-
tæ: 710

Has tibi nos pactis legibus dare iussit.

ARGYRIPPVS.

Quid id est, quæso?

LIBANVS.

Noctem huius et cœnam ut sibi dares.

ARGYRIPPVS.

Iube advenire.

Meritissimo eius, quæ volet, faciemus, qui hosce
amores

Nostros dispulsos compulit.

LEONIDA.

Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuom?

ARGYRIPPVS.

Hæc faciet, facile ut patiar, 715

Leonida. Curre, te obsecro: patrem huc orato ut
veniat.

LIBANVS.

Iamdudum est intus.

ARGYRIPPVS.

Hac quidem ne venit.

LIBANVS.

Angiporto

Illac per hortum circumit clam: ne quis se videret

Huc ire familiarium: ne uxor resciscat, metuit.

De argento si mater tua sciat factum ut sit

ARGYRIPPVS.

Heia, 720

Benedicito!

LIBANVS.

Ite intro cito!

LEONIDA.

Valete et vos amate!

DIABOLVS. PARASITVS.

DIABOLVS.

Agedum, istum ostende, quem conscripsti, syngra-
phum i. s. III, 4

Inter me et amicam et lenam. Leges perlege.
Nam tu poëta es prorsus ad eam rem unicus.

PARASITVS.

Horrescet faxo lena, leges quom audiet. 725

DIABOLVS.

Age, quæso, mi hercle translege!

PARASITVS.

Audin'?

DIABOLVS.

Audio.

PARASITVS.

Diabolus Glauci filius Cleæretæ
Lenæ dedit dono argenti viginti minas:
Philenium ut secum esset noctis et dies
Hunc annum totum.

DIABOLVS.

Neque cum quiquam alio quidem. 730

PARASITVS.

Addone id?

DIABOLVS.

Adde; et scribas, vide, plane et probe!

PARASITVS.

Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum...

DIABOLVS.

Neminem!

PARASITVS.

Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet:
Fores oclusæd omnibus sint, nisi tibi; 735
In foribus scribat: Occupatam esse se.
Aut quod illa dicat, peregre adlatam epistolam:
Ne epistola quidem ulla siet in ædibus,

Nec cerata adeo tabula; et si quæ inutilis
 Pictura sit, eam vendat. Ni quatrividuo 740
 Abalienarit, quo ex argentum acceperit:
 Tuos arbitratus sit: conburas, si velis:
 Ne illi sit cera, ubi possit facere literas.
 Vocet convivam neminem illa, tu voces:
 Ad eorum ne quemquam oculos adiiciat suos. 745
 Si quem alium adspexit: cæca continuo siet.
 Tecum una postea æque pocula potitet,
 Abs ted accipiat, tibi propinet, tum bibat:
 Ne illa minus aut plus, quam tu, sapiat.

DIABOLVS.

Satis placet.

PARASITVS.

Suspiciones omnis abs se segreget: 750
 Neque illæc ulli pede pedem homini premat,
 Quom surgat; neque illa in lectum inscendat pro-
 ximum;
 Neque, quom descendat, inde det quoiquam ma-
 num.
 Spectandum ne quoiquam anulum det, neque roget.
 Talos ne quoiquam homini admoveat, nisi tibi; 755
 Quom iaciat, Te ne dicat: nomen nominet.
 Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam;
 Deum nullum. Mage si religiosa fuerit:
 Tibi dicat: tu pro illa ores, ut sit propitius.
 Neque illa ulli hemoni nutet, nictet, adnuat. 760
 Post, si lucerna extincta sit, ne quid sui
 Membri conmoveat quidquam in tenebris.

DIABOLVS.

Optimum est,

Ita scilicet facturam; verum in cubiculo...

Deme istuc! equidem illanc moveri gestio.
Nolo illam habere causam, et vetitum dicere. 765

PARASITVS.

Scio, captiones metuis.

DIABOLVS.

Verum.

PARASITVS.

Ergo, ut iubes,

Tollam?

DIABOLVS.

Quidni?

PARASITVS.

Audi reliquia.

DIABOLVS.

Eloquere: audio.

PARASITVS.

Neque ullum verbum faciat perplexabile;
Neque ulla lingua sciat loqui, nisi Attica.
Fors si tussire ocepit, ne sic tussiat: 770
Vt quoiquam linguam in tussiendo proferat.
Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat:
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potius, quam quoiquam savium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum accedat interim, 775
Neque ulli verbo dicat male. Si dixerit:
Haec multa ei esto: vino viginti dies
Vt careat.

DIABOLVS.

Pulcre scripsti! scitum syngraphum!

PARASITVS.

Tum si coronas, sarta, unguenta iusserit
Ancillam ferre Venerid aut Cupidini: 780

Tuos servos servet, Venerine eas det, an viro,
 Si forte pure velle habere dixerit:
 Tot noctis reddat spurcas, quot pure habuerit.
 Hæc sunt non nugæ: non enim mortualia.

DIABOLVS.

Placent profecto leges. Sequere intro.

PARASITVS.

Sequor. 785

DIABOLVS. PARASITVS.

DIABOLVS.

Sequere hac. Egon' hæc patiar, aut taceam? Emo-
 ri i. s. IV, 1

Me malim, quam hæc non eius uxori indicem!

Ain' tu? apud amicam munus adolescentuli

Fungare, uxori excuses te et dicas senem?

Praeripias scortum amanti, atque argentum obi-
 cias 790

Lenæ? suppiles clam domi uxorem tuam?

Suspendam potius me, quam tacita hæc auferas!

Iam quidem ad illam hercle hinc ibo, quam tu
 propediam,

Ni quidem illa anteoccupasset te, ecfliges scio:

Luxuriæ sumtus suppeditare ut possies. 795

PARASITVS.

Ego sic faciundum censeo: me honestiust,

Quam te, palam hanc rem facere: ne illa exi-
 stumet,

Amo-

Amoris causa percitum id fecisse te
 Mage, quam sua causa.

DIABOLVS.

At pol quin dixti rectius.

Tu ergo face, ut illi turbas, litis, concias: 800
 Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
 Potare; illam expilare clam.

PARASITVS.

Ne me mone:

Ego istuc curabo.

DIABOLVS.

At ego te opperiar domi.

ARGYRIPPVS. DEMAENETVS.

ARGYRIPPVS.

Age, decumbamus, sis, pater.

DEMAENETVS.

Vt iusseris, i. s. IV, 2

Mi gnate, ita fiat.

ARGYRIPPVS.

Pueri, mensam adponite. 805

DEMAENETVS.

Numquidnam tibi molestum est, gnate mi, si me-
 cum hæc adcubat? i. t.

ARGYRIPPVS.

Pietas, pater, dolorem prohibet oculis: quamquam
 istanc amo:

Possum equidem inducere animum, ne ægre pa-
 tiar, quia tecum adcubat.

DEMAENETVS.

Decet verecundum esse adolescentem, Argyrippe.

ARGYRIPPVS.

Edepol, pater,

Merito tuo facere possum.

DEMAENETVS.

Age ergo, agitemus hoc convivium 810
Vino et sermone suavi! nolo ego metui, amari
mavolo,

Mi gnate, me abs te.

ARGYRIPPVS.

Pol ego utrumque facio, ut æquom est
filium.

DEMAENETVS.

Credam istuc, si ego te hilarum videro.

ARGYRIPPVS.

An tu me tristem putas?

DEMAENETVS.

Putem ego, quem æque esse moestum videam, ut
quasi dies si dicta sit.

ARGYRIPPVS.

Ne dixis istuc.

DEMAENETVS.

Ne sic fueris: eloco ego non dixero. 815

ARGYRIPPVS.

Hem, adspecta: rideo.

DEMAENETVS.

Vtinam, male qui mihi volunt, sic rideant!

ARGYRIPPVS.

Scio equidem, quamobrem me, parens, tu tristem
credas nunc tibi:

Quia istæc est tecum. Atque ego quidem, hercle,
 ut verum tibi dicam, patri:
 Ea res male habet; ac non eo, quia tibi non cu-
 piam, quæ velis:
 Verum istam amo. Aliam tecum esse, equidem fa-
 cile possim perpeti. 820

DEMAENETVS.

At ego hanc volo.

ARGYRIPPVS.

Ergo sunt, quæ exoptas. Mihique,
 quæ exoptem, volo.

DEMAENETVS.

Vnum hunc diem perpetere: quoniam tibi pote-
 statem dedi,
 Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti fe-
 ci copiam.

ARGYRIPPVS.

Hem, istoc me facto tibi devinxti!

DEMAENETVS.

Quin te ergo hilarum das mihi?

ARTEMONA. PARASITVS. DEMAE-
 NETVS. ARGYRIPPVS. PHILE-
 NIVM.

ARTEMONA.

Ain' tu, meum virum potare hic, obsecro, cum
 filio, t. t. c. V. 825
 Et ad amicam detulisse argenti viginti minas,
 Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?

PARASITVS.

Neque divini neque mi humani posthac quidquam
adcreduas,

Artemona, si huius re me mendacem esse inveneris.

ARTEMONA.

At scelesta ego præter alios meum virum fovi
rata 830

Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris ma-
xume.

PARASITVS.

At nunc dehinc scito, illum ante omnis minumi
mortalem preti,

Madidum, nihili, incontinentem atque osorem uxo-
ris suæ.

ARTEMONA.

Pol ni vera ista essent: nunquam faceret ea, quæ
nunc facit.

PARASITVS.

Ego quoque hercle illum antehac hominem sem-
per sum frugi ratus; 835

Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum
filio

Potet una, atque una amicam ductet, decrepitus
senex.

ARTEMONA.

Hoc ecastor est, ad cœnam quod illic it cotidie;
Ait, sese ire ad Archidemum, Chæream, Chære-
stratum,

Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthe-
nem: 840

Is apud scortum corruptelæ et liberis lustris stu-
det.

PARASITVS.

Quin tu illunc iubes ancillas rapere sublimem domum?

ARTEMONA.

Tace modo. Næ illunc ecastor miserum habebō!

PARASITVS.

Istuc scio

Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris.

ARTEMONA.

Ego censeo

Eum etiam hominem aut in senatu dare operam,
aut clientibus; 845

Ibi labore delassatum noctem totam stertere:
Ille foris opere faciundo lassus noctud advenit;
Fundum arat alienum, incultum familiarem deserit.
Is etiam, corruptus, porro suum corrumpit filium.

PARASITVS.

Sequere hac me modo: iam faxo ipsum hominem
manifesto opprimas. 850

ARTEMONA.

Nihil ecastor est, quod facere mavelim.

PARASITVS.

Manedum.

ARTEMONA.

Quid est?

PARASITVS.

Possis, si forte ad cubantem tuum virum conspexeris

Cum corona, amplexum amicam si videas, cognoscere?

ARTEMONA.

Possum ecastor.

PARASITVS.

Hem tibi hominem!

ARTEMONA.

Perii!

PARASITVS.

Paulisper mane:

Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem ge-
rant. 855

ARTEMONA.

Quid modi, pater, amplexando facies?

DEMAENETVS.

Fateor, gnate mi...

ARGYRIPPVS.

Quid fateris?

DEMAENETVS.

Ex amore me huius corruptum oppido.

PARASITVS.

Audin', quid ait?

ARTEMONA.

Audio.

DEMAENETVS.

Egon' ut non domo uxori meæ
Subripiam in deliciis pallam quam habet, atque
ad te deferam,

Non edepol conduci possum vita uxoris annua. 860

PARASITVS.

Censen', tu illunc hodie primum ire esse adsue-
tum in ganeum?

ARTEMONA.

Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Susplicabar, atque insontis miseras cruciabam.

ARGYRIPPVS.

Pater,

Iube dari vinum; iamdudum factum est, quom
primum bibi.

DEMAENETVS.

Da, puere, ab summo. Age, tu interibi ab infumo
da savium. 865

ARTEMONA.

Perii, misera, ut osculatur carnufex, capuli decus!

DEMAENETVS.

Edepol animam suaviorem aliquanto, quam uxoris
meæ!

PHILENIVM.

Dic, amabo, an foetet uxoris tuæ anima?

DEMAENETVS.

Nauteam

Bibere malim, si necessum est, quam illanc oscu-
larier.

ARTEMONA.

Ain' tandem? Edepol næ tute istuc cum malo ma-
gno tuo 870
Dixisti in me! Sine! venias modo domum! faxo,
ut scias,
Quid pericli sit dotata uxori vitium dicere.

PHILENIVM.

Miser ecastor es.

ARTEMONA.

Ecastor dignus est.

ARGYRIPPVS.

Quid ais, pater?

Ecquid matrem amas?

DEMAENETVS.

Egone illam? Nunc amo, quia non adest.

ARGYRIPPVS.

Quid, quom adest?

DEMAENETVS.

Periisse cupio.

PARASITVS.

Te amat homo hic, ut prædicat. 875

ARTEMONA.

Næ ille ecastor fœnerato hæc funditat: nam si
domum

Redierit hodie, osculando ulciscar ego potissimum.

ARGYRIPPVS.

Iace, pater, talos: ut porro nos iaciamus.

DEMAENETVS.

Maxime.

Te, Philenium, mihi, atque uxoris mortem!—Hoc
Venerium est!Pueri, plaudite, et mi ob iactum cantharo mulsum
date! 880

ARTEMONA.

Non nequeo durare.

PARASITVS.

Si non didicisti fulloniam:

Non mirandum est. In oculos invadi nunc est optu-
mum.

ARTEMONA.

Ego pol vivam, et tu istanc hodie cum tuo magno
malo

Invocavisti!

PARASITVS.

Ecquis currit pollinctorem arcessere?

ARGYRIPPVS.

Mater, salve!

ARTEMONA.

Sat salutist.

PARASITVS.

Mortuost Demaenetus! 885

Tempus est subducere hinc me: pulcre hoc gliscit
prœlium!

Ibo ad Diabolum; mandata dicam facta, ut voluerit,
Atque interea, ut decumbamus, suadebo, hi dum
litigant;

Post eum demum huc cras adducam ad lenam: ut
viginti minas

Ei det, in partem hac amanti ut liceat ei poti-
rier. 890

Argyrippus exorari, spero, poterit, ut sinat

Sese alternas cum illo noctis hac frui: nam ni
inpetro:

Regem perdidit: ex amore tantum est homini in-
cendium.

ARTEMONA.

Quid tibi huc receptio ad te est meum virum?

PHILENIVM.

Pol me hæc quidem

Miseram odio enicabit hodie!

ARTEMONA.

Surge, amator! i domum! 895

DEMAENETVS.

Nullus sum!

ARTEMONA.

Imo es (ne nega) pol omnium nequis-
sumus!

At etiam cubat cuculus! Surge, amator! i domum!

DEMAENETVS.

Væ mihi!

ARTEMONA.

Vera hariolare. Surge, amator! i domum!

DEMAENETVS.

Abscede ergo paululum istuc.

ARTEMONA.

Surge, amator! i domum!

DEMAENETVS.

Iam, obsecro, uxor....

ARTEMONA.

Nunc uxorem me esse meministi tuam? 900
Modo quom dicta in me ingerebas: odium, non
uxor, eram.

DEMAENETVS.

Totus perii!

ARTEMONA.

Quid tandem? anima foetetne uxoris tuæ?

DEMAENETVS.

Murrham olet.

ARTEMONA.

Iam subripuisti pallam, quam scorto
dares? .

Ecastor....

ASINARIA.

171

ARGYRIPPVS.

Quam subrepturum pallam promisit tibi...

DEMAENETVS.

Non taces?

ARGYRIPPVS.

Ego dissuadebam, mater.

ARTEMONA.

Bellum filium! I- 905
stoscine æquom est patrem mores liberis largirier?
Nilne te pudet?

DEMAENETVS.

Pol, si aliud nil sit, tui me, uxor, pudet.

ARTEMONA.

Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit!

DEMAENETVS.

Non licet manere (cœna coquitur), dum cœnem
modo?

ARTEMONA.

Ecastor cœnabis hodie, ut dignus es, magnum
malum! 910

DEMAENETVS.

Male cubandum est: iudicatum me uxor abducit
domum!

ARGYRIPPVS.

Dicebamne, pater, tibi, ne matri consuleres male?

PHILENIVM.

De palla memento, amabo!

DEMAENETVS.

Iuben' hanc hinc abscedere?

PHILENIVM.

Imo potius intus sequere hac me, mi anime!

ARGYRIPPVS.

Ego vero sequor.

ARTEMONA.

I domum!

PHILENIUM.

Da saviū etiam, priusquam abis.

DEMAENETVS.

In' in crucem? 915

G R E X.

Hic senex si quid, clam uxorem, suo animo fecit
volup':

Neque novom neque mirum fecit, nec secus, quam
alii solent;

Nec quisquam est tam ingenio duro, neque tam
firmo pectore,

Quin, ubi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene.

Nunc si voltis deprecariē huic seni, ne vapulet: 920

Remur inpetrari posse, plausum si clarum datis.

A V L V L A R I A.



A R G V M E N T V M.

Senex avarus, sibi vix credens, Euclio
Defossam multis cum opibus domi suæ
Aulam invenit, rursumque penitus conditam,
Exsanguis, amens, servat. Eius filiam
Lyconides vitiat. Interea senex
Megadorus, a sorore suasus ducere
Vxorem, avari gnatum deprecatur sibi.
Senex durus vix promittit, atque, aulæ timens,
Domo sublatam variis abstrudit locis.
Insidias servus huius facit Lyconidis,
Qui virginem vitiat; atque ipse obsecrat
Avunculum Megadorum sibimet cedere
Vxorem amanti. Per dolum mox Euclio
Quum perdidisset aulam insperato invenit,
Lætusque natam collocat Lyconidi.

A L I V D A R G V M E N T V M.

Aulam repertam avarus plenam auri Euclio
Vi summa servat, miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Vult hanc Megadorus indotatam ducere,
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio: abstrudit foras;
Reque omni inspecta, compressoris servulus
Id surpit. Illic Euclioni rem refert:
Ab eo donatur auro, uxore et filio.

DRAMATIS PERSONAE.

LAR.
EVCLIO.
STAPHYLA.
EVNOMIA.
MEGADORVS.
STROBILVS GEMINVS.
ANTHRAX.
CONGRIO.
PYTHODICVS.
LYCONIDES.
PHAEDRA.

PRO-

P R O L O G V S.

LAR FAMILIARIS.

Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
Vnde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
Iam multos annos est quom possideo et colo
Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet. 5
Sed avos mihi huius obsecrans concredidit
Auri thesaurum clam omnis; in medio foco
Defodit, venerans me, id uti servarem sibi.
Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit:
Nunquam indicare id filio voluit suo, 10
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum conmonstraret filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Qui cum labore magno et misere viveret.
Vbi is obiit mortem, qui id mihi aurum credidit: 15
Cœpi observare, ecqui maiorem filius
Mi honorem haberet, quam eius habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque inpendio
Curare, minusque me inpartire honoribus.
Item a me contra factum est. Nam item obiit diem.

Is 20

L

[12]

Ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
 Pariter moratum, ut pater avosque huius fuit.
 Huic filia una est; ea mihi cotidie
 Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat;
 Dat mihi coronas. Eius honoris gratia 25
 Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
 Quo illam facilius nuptam, si vellet, daret:
 Namque eam compressit de summo adolescens
 loco;

Is scit, adolescens, quae sit, quam compresserit;
 Illa illum nescit, neque compressam autem pater. 30
 Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proximo
 Sibi uxorem poscat: id ea faciam gratia,
 Quo ille eam facilius ducat, qui compresserat:
 Enim hic, qui poscet eam sibi uxorem, senex,
 Is adolescentis illius est avonculus, 35
 Qui illanc stupravit noctu, Cereris vigiliis.
 Sed hic senex iam clamat intus, ut solet;
 Anum foras extrudit, ne sit conscia.
 Credo, aurum inspicere volt, ne subreptum siet.

EVCLIO. STAPHYLA.

EVCLIO.

Exi, inquam! age, exi! exeundum hercle hinc tibi
 est foras, i. s. l.

Circumspectatrix cum oculis emissitiis!

STAPHYLA.

Nam cur me miseram verberas?

EVCLIO.

Vt misera sis,
Atque ut te dignam, mala, malam ætatem exigas!

STAPHYLA.

Nam qua me nunc causa extrusisti ex ædibus? 5

EVCLIO.

Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio! illuc, sis! Vide, ut
Incedit! At scin', quomodo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in
manum:

Testudineum istum tibi ego grandibo gradum! 10

STAPHYLA.

Vtinam me divi adaxint ad suspendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam!

EVCLIO.

At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos hercle istos, improba, ecfodiam tibi:
Ne me observare possis, quid rerum geram. 15
Abscede! — etiam nunc! — etiam nunc!

STAPHYLA.

Etiamne?

EVCLIO.

Ohe,

Istuc adesto! si hercle tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te iussero:
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci. 20
Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam, nimisque ego hanc metuo
male,
Ne mi ex insidiis verba imprudenti duit,

Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,
 Quæ in occipitio quoque habet oculos, pessuma. 25
 Nunc ibo uti visam, estne ita aurum, ut condidi,
 Quod me sollicitat plurimis miserum modis.

STAPHYLA.

Ne nunc mecastor, quid hero ego dicam meo
 Malæ rei evenisse, quamve insaniam,
 Queo conminisci: ita me miseram ad hunc mo-
 dum 30

Decies die uno sæpe extrudit ædibus.
 Nescio pol, quæ illunc hominem intemperiam te-
 nent:

Pervigilat noctis totas; tum autem interdus
 Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.
 Neque iam, quo pacto celem herilis filiam 35
 Probrum, propinqua partitudo quam adpetit,
 Queo conminisci; neque quidquam est melius
 mihi,

Vt opinor, quam ex me ut unam faciam literam
 Longam, meum laqueo collum quando obstrin-
 xero. —

EVCLIO.

Nunc defecato demum animo egredior domo, 40
 Postquam perspexi, salva esse intus omnia.
 Redi nunc iam intro atque intus serva!

STAPHYLA.

Quippe nil
 Ego intus servem! An, ne quis ædis auferat?
 Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus:
 Ita inaniis sunt oppletæ atque araneis. 45

EVCLIO.

Mirum, quin tua me causa faciat Iupiter

Philippum regem aut Darium, trivenefica!
 Araneas mihi ego illas servari volo.
 Pauper sum, fateor; patior. Quod di dant, fero.
 Abi intro! occlude ianuam! Iam ego hic ero. 50
 Cave quemquam alienum in ædis intromiseris.
 Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo:
 Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet;
 Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo,
 Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet. 55
 Cultrum, securim, pistillum aut mortarium,
 Quae utenda vasa semper vicini rogant,
 Fures venisse atque abstulisse dicito,
 Profecto in aedis meas me absente neminem
 Volo intromitti; atque etiam (hoc praedico ti-
 bi) 60
 Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris,

STAPHYLA,

Pol eapse, credo, ne intromittatur, cavet;
 Nam ad aedis nostras nusquam adiit quaquam
 prope,

EVCLIO,

Tace atque abi intro!

STAPHYLA.

Taceo atque abeo,

EVCLIO.

Occlude, sis,

Foris ambobis pessulis! Iam ego hic ero. — 65

Discrurior animi, quia ab domo abeundum est
 mihi!

Nimis hercle invitus abeo; sed, quid agam, scio:

Nam noster nostrae qui est magister curiae,
 Dividere argenti dixit numos in viros:
 Id si relinquo ac non peto: omnes eloco 70
 Me suspicientur, credo, habere aurum domi:
 Nam verisimile non est, hominem pauperem
 Pauxillum parvi facere quin numum petat:
 Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant,
 Omnes videntur scire, et me benignius 75
 Omnes salutant, quam salutabant prius;
 Adeunt, consistunt, copulantur dexteras;
 Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum
 geram.
 Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
 Me rursus, quantum potero, tantum recipiam. 80

EVNOMIA. MEGADORVS.

EVNOMIA.

Velim te arbitrari, med hæc verba, frater, b. t. II, 1
 Meæ fidei tuæque hic rei causa facere,
 Vt æquom est germanam sororem. b. tr.
 Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi: b. t.
 Nam multum loquaces merito omnes habemur, 85
 Nec mutam profecto repertam ullam dicunt
 Hodie mulierem ullo esse in seclo. b. tr.
 Verum hoc, frater, unum tamen cogitato, b. t.
 Tibi proxumam me mihiq̄ue esse item te:
 Ita æquom est, quod in rem esse utriq̄ue arbitre-
 mur, 90

Et mihi te, et tibi me, consulere et monere,
 Neque occultum id haberi, neque per metum mus-
 sari, i. tr. h.
 Quin participem ego pariter ted, et tu me facias.
 Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
 Vt tuam rem tecum ego loquerer hic familia-
 rem, 95

MEGADORVS,

Da mihi manum, optuma femina,

EVNOMIA,

Nam ubi ea est? quis ea nam est op-
 tuma? i. t.

MEGADORVS,

Tu.

EVNOMIA,

Tune ais?

MEGADORVS.

Si negas, nego.

EVNOMIA,

Decet te quidem vera proloqui.
 Nam optuma nulla eligi potest; alia alia peior,
 frater, est,

MEGADORVS,

Idem ego arbitro; advorsari certum est de istae
 re nunquam, soror.

EVNOMIA,

Da mi operam, amabo te,

MEGADORVS,

Est tua: utere; loquere atque impe-
 ra, sis! i. t. c. 100

EVNOMIA.

Id, quod tuam in rem esse optimum arbitro, id te
monitum advento.

MEGADORVS.

Facis more tuo.

EVNOMIA.

Factum volo.

MEGADORVS.

Quid id est, soror? i. s.

EVNOMIA.

Quod tibi sempiternum salutare sit! c. t.

MEGADORVS.

Ita di faxint!

EVNOMIA.

Volo, te uxorem a. d.

Domum ducere.

MEGADORVS.

Eheu, occidi!

EVNOMIA.

Quid ita? 105

MEGADORVS.

Quia mi misero cerebrum excutiunt

Tua dicta soror: lapides loqueris.

EVNOMIA.

Heia, hoc face, quod iubet soror.

MEGADORVS.

Si lubeat, faciam. i. tr. h.

EVNOMIA.

In rem hoc tuam est.

MEGADORVS.

Vt quidem emorar, priusquam ducam!

Quæ cras venat, perendie foras feratur, 110

His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna!

E V N O M I A.

Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote.

M E G A D O R V S.

Sed grandior est natu!?

E V N O M I A.

Media est mulieri aetas.

Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.

M E G A D O R V S.

Num nunc vis me interrogare te?

E V N O M I A.

Imo, si quid vis, roga. t. t. c. 115

M E G A D O R V S.

Post mediam ætatem qui media ducit uxorem
domum,

Si eam senex anum praegnatem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Po-
stumus?

Nunc istum ego, soror, laborem degam et de-
minuam tibi.

Ego virtute deum et maiorum nostrum dives sum
satis: 120

Istas magnas factiones, animos, dotis dapsilis,
Clamores, imperia, eburata vehicla, pallas, pur-
puram,

Nil moror, quæ in servitutum sumtibus redigunt
viros.

E V N O M I A.

Dic mihi, sodes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?

M E G A D O R V S.

Eloquar.

Nostin' hunc senem Euclyonem ex proximo pau-
perculum? 125

EVNOMIA.

Novi, hominem haud malum mecastor.

MEGADORVS.

Eius cupio filiam
 Virginem mihi desponderi. Verba ne facias, soror.
 Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Hæc
 pauper placet.

EVNOMIA.

Di bene vortant!

MEGADORVS.

Idem ego spero.

EVNOMIA.

Quidni? — Numquid vis?

MEGADORVS.

Vale.

EVNOMIA.

Et tu, frater.

MEGADORVS.

Ergo conveniam Euclionem, si domi
 Est. Sed eccum nescio unde sese homo recipit
 domum!

EVCLIO. MEGADORVS.

EVCLIO.

Præsagibat mi animus, frustra me ire, quom exi-
 bam domo: t. t. c. II, 2
 Itaque abibam invitus: nam neque quisquam cu-
 rialium

Venit, neque magister, quem dividere argentum
oportuit.

Nunc domum properare propero: nam egomet sum
hic, animus domi est. 135

MEGADORVS.

Salvos atque fortunatus, Euclio, semper sies!

EVCLIO.

Di te ament, Megadore!

MEGADORVS.

Quid tu? recten' atque, ut vis, vales?

EVCLIO.

Non temerarium est, ubi dives blande adpellat
pauperem:

Iam illic homo aurum scit me habere: eo me sa-
lutat blandius.

MEGADORVS.

Ain' tu, te valere?

EVCLIO.

Pol ego haud perbene a pecunia. 140

MEGADORVS.

Pol si est animus æquos tibi, habes sat, qui bene
vitam colas.

EVCLIO.

Anus hercle huic indicium fecit de auro; perspi-
cua palam est;

Quoi ego iam linguam præcidam atque oculos ec-
fodiam domi!

MEGADORVS.

Quid tu solus tecum loquere?

EVCLIO.

Meam pauperiem conqueror:

Virginem habeo grandem, dote cassam atque in-
locabilem; 145

Neque eam quo locare quoiquam . . .

MEGADORVS.

Tace; bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adiuvabere a me. Dic, si quid opust;
impera.

EVCLIO.

Nunc petit, quom pollicetur! inhiat aurum, ut de-
voret!

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera!
Nemini credo, qui large blandust dives pauperi: 150
Vbi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam za-
miam.

Polypos ego istos novi, qui, ubi, quid tetigerunt,
tenent.

MEGADORVS.

Da mi operam parumper: paucis, Euclio, est quod
te volo

De communi re adpellare mea et tua.

EVCLIO.

Hei misero mihi!

Aurum mi intus harpagatum est: nunc hic eam
rem volt, scio, 155

Mecum adire ad pactionem: verum intervisam do-
mum.

MEGADORVS.

Quo abis?

EVCLIO.

Iamiam ad te revortar: namque est, quod
visam domum.

MEGADORVS.

Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
 Mi ut despondeat, sese a me derideri rebitur;
 Neque illo quisquam est alter hodie ex pauper-
 tate parcior. 160

EVCLIO.

Di me servant: salva res est! salvom est, si quid
 non perit.

Nimis male timui, priusquam intro redii! exani-
 matus fui!

Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.

MEGADORVS.

Habeo gratiam.

Quæso, quod te percontabor, ne id te pigeat pro-
 loqui.

EVCLIO.

Dum quidem ne quid perconteris, quod non lubeat
 proloqui. 165

MEGADORVS.

Dic mihi: quali me arbitrare genere prognatum?

EVCLIO.

Bono.

MEGADORVS.

Quid fide?

EVCLIO.

Bona.

MEGADORVS.

Quid factis?

EVCLIO.

Neque malis, neque improbis.

MEGADORVS.

Scis meam ætatem?

EVCLIO.

Scio, esse grandem, itidem ut pecuniam.

MEGADORVS.

Certe edepol equidem te civem sine mala omni
malitia

Semper sum arbitratus, et nunc arbitrator.

EVCLIO.

Aurum huic olet. 170

Quid nunc me vis?

MEGADORVS.

Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio:
Quæ res recte vortat mihi que tibi que tuae que
filiae,

Filiam tuam mi uxorem posco. Promitte, hoc fore.

EVCLIO.

Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis
facis,

Vt inopem atque innoxium abs te atque abs tuis
me inrideas: 175

Nam de te neque re neque verbis merui, ut faceres,
quod facis.

MEGADORVS.

Neque edepol ego te derisum venio neque derideo,
Neque dignum arbitrator.

EVCLIO.

Cur igitur poscis meam gnatam tibi?

MEGADORVS.

Vt me propter tibi sit melius, mihi que propter te
et tuos.

EVCLIO.

Venit hoc mihi, Megadore, in mentem, ted esse
hominem divitem, 180

Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperumum:

Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,

'Te bovem esse, et me ad asellum: ubi tecum coniunctus siem,

Vbi onus nequeam ferre pariter: iaceam ego asinus in luto;

Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem; 185

Et te utar iniquiore, et meus ad ordo inrideat; Ne tibi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat:

Asini me mordicibus scindant, cornibus insurgent boves.

Hoc magnum est periculum, ab asinis me ad boves transcendere.

MEGADORVS.

Quam ad probos propinquitate proxime te adiunxeris, 190

Tam optimum est. Tu conditionem hanc accipe (ausculta mihi),

Atque eam mihi desponde!

EVCLIO.

At nihil est dotis quod dem.

MEGADORVS.

Ne duas:

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

EVCLIO.

Eo dico, ut ne me thesauros reperisse censeas.

MEGADORVS.

Novi: ne doceas. Desponde.

EVCLIO.

Fiat. — Sed proh Iupiter! 195

Num ego desperii?

MEGADORVS.

Quid tibi est?

EVCLIO.

Quid crepuit quasi ferrum modo?

MEGADORVS.

Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi
hinc est homo?

Abiit, neque me certiozem fecit: fastidit mei.

Quia videt me suam amicitiam velle, more homi-
num facit:

Nam si opulentus it petitum pauperioris gra-
tiam: 200

Pauper metuit congregiri; per metum male rem
gerit;

Idem, quando occasio illac periit, post sero cupit.

EVCLIO.

Si hercle ego te non elinguendam dedero usque
ab radicibus:

Imperoque auctorque sum, ut me quovis castran-
dum loces!

MEGADORVS.

Video hercle ego ted arbitrari me, Euclio, homi-
nem idoneum, 205

Quem senecta ætate ludos facias, haud merito meo.

EVCLIO.

Neque edepol, Megadore, facio, neque, si cupiam,
copia est.

MEGADORVS.

Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?

Ev-

EVCLIO.

Illis legibus,

Cum illa dote, quam tibi dixi.

MEGADORVS.

Sponden' ergo?

EVCLIO.

Spondeo.

MEGADORVS.

Di bene vortant!

EVCLIO.

Ita di faxint! Illud facito ut memineris 210
 Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret
 filia.

MEGADORVS.

Memini.

EVCLIO.

At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier:
 Pactum non pactum est, non pactum pactum est,
 quod vobis lubet.

MEGADORVS.

Nulla controversia mihi tecum erit. Sed nuptias
 Hodie quin faciamus, num quæ causa?

EVCLIO.

Imo edepol optuma. 215

MEGADORVS.

Ibo igitur; parabo. Numquid vis?

EVCLIO.

Istuc.

MEGADORVS.

Fiat. Vale.

Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum
 strenue!

EVCLIO.

Ille hinc abiit. Di immortales, obsecro, aurum
quid valet!

Credo ego illunc iam inaudisse, mi esse thesau-
rum domi:

Id inhiat; ea adfinitatem hanc obstinavit gra-
tia. 220

EVCLIO. STAPHYLA.

EVCLIO.

Vbi tu es, quæ deblaterasti iam vicinis omni-
bus, t. t. c. II, 3

Meæ me filiæ daturum dotem? Heus, Staphyla,
te voco!

Ecquid audis? Vascula intus pura propere atque
elue!

Filiam despondi ego; hodie nuptum huic Mega-
doro dabo.

STAPHYLA.

Di bene vortant! Verum ecastor non potest: su-
bitum est nimis. 225

EVCLIO.

Tace tu atque abi! Curata fac sint, quom a foro
redeam domum,

Atque occludito ædis! Iam ego hic adero.

STAPHYLA.

Quid ego nunc agam?
Nunc prope adest nobis exitium, mi atque herili
filiæ:

Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat
palam;

Quod celatum atque occultatum est usque adhuc,
nunc non potest. 230

Ibo, intro: ut, herus quæ imperavit, facta, quom
veniat, sient.

Nam ecastor malum mœrore metuo ne mistum
bibam!

STROBILVS. ANTHRAX. CONGRIO.

STROBILVS.

Postquam obsonavit herus et conduxit cocos i. s. III, I
Tibicinasque hasce apud forum: edixit mihi,
Vt dispartirem obsonium hinc bifariam. 235

ANTHRAX.

Me tu quidem hercle (edico palam) non divides;
Si quo tu totum me ire vis: operam dabo.

CONGRIO.

Bellum et pudicum vero prostibulum popli!
Post, si quis vellet, te haud non velles dividi.

STROBILVS.

Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram, 240
Non istuc, quo tu insimulas. Sed herus nuptias
Meus hodie faciet.

ANTHRAX.

Quoius ducet filiam?

STROBILVS.

Vicini huius Euclionis hinc e proxumo.

Ei adeo obsoni hinc iussit dimidium dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam. 245

ANTHRAX.

Nempe huc dimidium dicis, dimidium domum?

STROBILVS.

Nempe, sicut dicis.

ANTHRAX.

Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiai in nuptiis?

STROBILVS.

Vah!

ANTHRAX.

Quid negoti est?

STROBILVS.

Quid negoti sit, rogas?

Pumex non æque est aridus, atque hic est senex. 250

ANTHRAX.

Ain' tandem, ita esse, ut dicis?

STROBILVS.

Tute existuma.

Quin divom atque hominum clamat continuo fi-
dem,

• Suam rem periisse, seque eradicarier,

De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quin, quom it dormitum, follem obstringit ob gu-
lam. 255

ANTHRAX.

Cur?

STROBILVS.

Ne quid animæ forte amittat dormiens.

ANTHRAX.

Etiamne obturat inferiorem gutturem?

STROBILVS.

Hæc mihi ted, ut tibi med, æquom est credere.

ANTHRAX.

Imo equidem credod.

STROBILVS.

At scin' etiam, quomodo?

Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere. 260

ANTHRAX.

Censen' talentum magnum exorariet

Ab istoc sene ut det, qui fiamus liberi?

STROBILVS.

Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.

Quin ipsi pridem tonsor unguis demserat:

Conlegit, omnia abstulit, præsegmina. 265

ANTHRAX.

Edepol mortalem parce parcum prædicas.

CONGRIO.

Censen' vero, adeo parcum et misere vivere?

STROBILVS.

Pulmentum pridem ei etiam eripuit milios:

Homo ad prætorem deplorabundus venit;

Infit ibi postulare, plorans, eiulans: 270

Vt sibi liceret miliom vadariet.

Sexcenta sunt, quæ memorem, si sit otium.

Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.

CONGRIO.

Ego, ut multo melior.

STROBILVS.

Cocum ego, non furem, rogo.

CONGRIO.

Cocum ergo dico.

STROBILVS.

Quid tu ais?

ANTHRAX.

Sic sum, ut vides. 275

CONGRIO.

Cocus ille nundinalist: in nonum diem
Solet ire coctum.

ANTHRAX.

Tun', trium literarum homo,

Me vituperas?

CONGRIO.

Fur? Etiam fur trifurcifer....

STROBILVS.

Tace nunc iam tu, atque agnum hinc uter est pin-
guior, ...

CONGRIO.

Licet...?

STROBILVS.

Tu sume atque intro abi huc! Vos sequi-
mini! 280

Vos ceteri illuc ad nos!

CONGRIO.

Hercle iniuria

Dispartivisti: pinguiorem agnum isti habent.

STROBILVS.

At tibi nunc dabitur pinguior tibicina.

I sane cum illo, Phrygia. Tu autem, Eleusium,
Huc intro abidum ad nos.

CONGRIO.

O Strobile subdole, 285

Huccine detrusti me ad senem parcissimum,
Vbi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quidquam detur?

STROBILVS.

Stultius et sine gratia est,
Te ibi recte facere, quando, quod facias, perit.

CONGRIO.

Qui vero?

STROBILVS.

Rogitas? Iam principio in ædibus 290
Turba istic nulla tibi erit; si qui uti voles:
Domo abs te adfero: ne operam perdas poscere.
Hic autem apud nos magna turba ac familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea:
Ibi quidpiam si perierit (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam est),
Dicant: Coci abstulerunt: comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite!
Horunc tibi istic nihil eveniet: quippe qui
Vbi, quod subripias, nihil est. Sequere hac me.

ANTHRAX.

Sequor. 300

STROBILVS. STAPHYLA. CONGRIO.

STROBILVS.

Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi!

STAPHYLA.

Qui vocat? i. s. III, 2

STROBILVS.

Strobilus.

STAPHYLA.

Quid vis?

STROBILVS.

Hos ut accipias cocos
Tibicinamque obsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Eucioni haec mittere.

STAPHYLA.

Cererin' facturi has, mi Strobile, nuptias? 305

STROBILVS.

Qui?

STAPHYLA.

Quia temeti nihil adlatum intellego.

STROBILVS.

At iam adferetur, si a foro ipse redierit.

STAPHYLA.

Ligna hic apud nos nulla sunt.

CONGRIO.

Sunt asseres?

STAPHYLA.

Sunt pol.

CONGRIO.

Sunt igitur ligna: ne quæras foris.

STAPHYLA.

Quid, impurate? quamquam Volcano studes, 310

Cœnæne causa, aut tuæ mercedis gratia,

Nos nostras ædis postulas conburere?

CONGRIO.

Haud postulo.

STROBILVS.

Duc istos intro,

STAPHYLA.

Sequimini.



P Y T H O D I C V S.

Curate; ego intervisam, quid faciant coci, i. s. III, 3
 Quos pol ego ut hodie servem, cura maxuma
 est. 315

Nisi unum hoc faciam, in puteo uti cœnam co-
 quant;

Inde coctam sursum subducemus corbulis;

Sin autem deorsum comedant, si quid coxerint:

Superi incoenati sint et cœnati inferi.

Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet, 320

Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus.

EVCLIO. CONGRIO.

EVCLIO.

Volui animum tandem confirmare hodie
 meum, i. s. III, 4

Vt bene me haberem filiai in nuptiis:

Venio ad macellum, rogitō piscis; indicant

Caros, agninam caram, caram bubulam, 325

Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia;

Atque eo fuerunt cariora: æs non erat.

Abeo inde iratus: quoniam nihil est, quid emam:

Ita illis impuris omnibus adivi manum.

Deinde egomet mecum cogitare inter vias. 330

Occupi: Festo die si quid prodegeris:

Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi:

Accessit animus ad meam sententiam:
 Quam minumo sumtu filiam ut nuptum darem. 335
 Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas;
 Hæc inponentur in foco nostro Lari:
 Vt fortunatas gnatæ faciat nuptias.
 Sed quid ego apertas ædis nostras conspikor?
 Et strepitus intust! Numnam ego compilor miser? 340

CONGRIO.

Aulam maiorem, si potest, viciniam
 Pete: hæc est parva; capere non quit.

EVCLIO.

Hei mihi!

Perii hercle hodie! aurum rapitur! aula quæritur!
 Nimirum occidor, ni intro huc propero currere!
 Apollo, quæso, subveni mi atque adiuva, 345
 Quoi tu in re tali iam subvenisti antidhac!
 Confige sagittis fures thesaurarios!
 Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

A N T H R A X.

Dromo, desquama piscis. Tu, Machærio, i. s. III, 5
 Congrum, murænam, exdorsua, quantum potest. 350
 Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
 A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,
 Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiust.
 Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
 Coci hercle, credo, faciunt officium suom. 355
 Fugiam intro: ne quid turbai hic itidem fuat.

CONGRIO.

Obdati cives, populares, incolæ, adcolæ, advenæ
omnes, t. t. III, 6

Date viam, qua fugere liceat! facite totæ plateæ
pateant!

Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni
in Bacchanal coquatum:

Ita me miserum et meos discipulos fustibus male
contuderunt. 360

Totus doleo atque oppido perii: ita me iste ha-
buit senex gymnasium,

Neque ligna usquam ego gentium præberi vidi
pulcrius. t. t. c.

Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos
fustibus. i. t.

Attat, perii hercle ego miser: aperit, adest, se-
quitur! i. tr. h.

Scio, quam rem geram: hoc ipse me magister
docuit. 365

EVCLIO. CONGRIO.

EVCLIO.

Redi! quo fugis nunc? tene, tene!

CONGRIO.

Quid, stolide, clamas? i. tr. h. III, 7

EVCLIO.

Quia ad Trisviros iam ego deferam tuom nomen.

CONGRIO.

Quamobrem?

EVCLIO.

Quia cultrum habes.

CONGRIO.

Cocum decet.

EVCLIO.

Quia conminatus

Mihi.

CONGRIO.

Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.

EVCLIO.

Homo nullust te scelestior qui vivat hodie, 370
Neque quoi de industria ego amplius mali plus
faxim!

CONGRIO.

Pol etsi taceas, palam id quidem est: res ipsa
testis:

Ita fustibus sum miser mollior mage, quam ullus
cinædus.

Sed quid tibi nos, homo mendice, est tactio?
quæ res?

EVCLIO.

Etiam rogas? an, quia minus, quam erat æquom,
feci? 375

Sine!

CONGRIO.

At hercle cum magno malo tuo, si occiput
sentit!

EVCLIO.

Pol ego haud scio, quid post fuat: tuom sinciput
sentit!

Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego iusseram? volo scire.

CONGRIO.

Tace ergo:

Quia venimus coctum ad nuptias.

EVCLIO.

Quid tu, malum, curas, 380

Vtrumne ego crudum an coctum edim, nisi tu mi
es tutor?

CONGRIO.

Volo scire, sinas, an non sinas, nos coquere hic
cœnam?

EVCLIO.

Volo scire item ego, meæn' domi mea salva fu-
tura?

CONGRIO.

Vtinam mea, quæ attuli, modo auferam mihi salva!
Mei haud pœnitet: tuane expetam?

EVCLIO.

Scio: ne doce! novi! 385

CONGRIO.

Quid est, qua nunc prohibes gratia nos coquere
hic cœnam?

Quid fecimus, quid tibi diximus, secus quam velles?

EVCLIO.

Etiam rogas, sceleste homo? quine anglos omnis
Mearum ædium et conclavium mihi perviam fa-
citis?

Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses: 390

Non fissiled haberes caput. Merito id tibi factum
est!

Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis:

Si ad ianuam huc accesseris, nisi iusso, propius:
Ego faciam te, miserrumus mortalis uti sis.
Scis iam meam sententiam?

CONGRIO.

Quo abis? redi rursus! 395
Ita me bene amet Laverna, te iam, nisi si reddi
Mihi vasa iubeas, piplo differam hic ante ædis!
Quid ego nunc agam? Nae ego edepol veni huc
auspicio malo: t. t. c.
Numo sum conductus; plus iam medico mercede
est opus.

EVCLIO.

Hoc quidem hercle, quoquod ibo, mecum erit,
mecum teram, 400
Neque istuc in tantis periculis unquam committam
ut siet.
Ite sane nunc iam intro omnes, et coci, et tibi-
cinæ!
Etiam tu introduce, si vis, vel gregem venalium!
Coquite, facite, festinate nunc iam, quantum lubet!

CONGRIO.

Temperi: postquam inplevisti fusti fissorum ca-
put. 405

EVCLIO.

Intro abi: opera huc est conducta vostra, non
oratio.

CONGRIO.

Heus, senex, pro vapulando hercle abs te ego
mercedem petam:
Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus
fui.

EVCLIO.

Lege agito mecum! molestus ne sis! Aut cœnam
coque,

Aut abi in malum cruciatum ab ædibus!

CONGRIO.

Abi tu modo. 410

EVCLIO.

Ille hinc abiit. Di immortales, facinus audax in-
cipit,

Qui cum opulento pauper cœpit rem habere aut
negotium!

Veluti me Megadorus tentat omnibus miserum
modis,

Qui simulavit, mei se honoris mittere huc causa
cocos;

Is ea causa misit, hoc qui surperent misero mihi. 415
Condigne etiam meus med intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissime:

Vbi erat hæc defossa, occœpit scalpturire ibi un-
gulis

Circumcirca. Quid opust verbis? ita mihi pectus
peracuit:

Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifesta-
rium. 420

Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos
cocos,

Si id palam fecisset: exemi e manu manubrium.

Quid opust verbis? facta est pugna in gallo gal-
linaceo.

Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro!
Iam hunc non ausim præterire, quin consistam et
conloquar. 425

MEGADORVS. EVCLIO.

MEGADORVS.

Narravi amicis multis consilium meum i. s. III, 8
 De conditione hac Euclionis filiæ.
 Laudant; sapienter factum et consilio bono.
 Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri
 Opulentiores, pauperiorum filias 430
 Vt indotatas ducant uxores domum:
 Et multo fiat civitas concordior,
 Et invidia nos minore utamur, quam utimur;
 Et illæ malam rem metuant, quam metuont, magis;
 Et nos minore sumtu simus, quam sumus. 435
 In maxumam illuc populi partem est optimum;
 In pauciores avidos altercatio est,
 Quorum animis invidis atque insatiables
 Neque lex neque tutor capere est qui possit mo-
 dum.

Namque hoc qui dicat: Quo illæ nubent divites 440
 Dotatæ, si istud ius pauperibus ponitur?
 Quo lubeat, nubant, dum ne dos fiat comes.
 Hoc si ita fiat: mores meliores sibi
 Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
 Ego faxim muli, pretio qui superant equos, 445
 Sint viliores Gallicis cantheriis.

EVCLIO.

Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens:
 Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.

MEGADORVS.

Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
 Maiorem multo, tibi quam erat pecunia: 450
 Enim

Enim mihi quidem æquom est purpuram atque
 aurum dari,
 Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
 Salutigerulos pueros, vehicla, qui vehar.

EVCLIO.

Vt matronarum hic facta pernovit probe!
 Moribus præfectum mulierum hunc factum ve-
 lim! 455

MEGADORVS.

Nunc, quoquo venias, plus plaustrorum in ædibus
 Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
 Sed hoc etiam pulcrum est, prae quam ubi sum-
 tus petunt:

Stat fullo, phrygiod, aurifex lanarius,
 Caupones patagiarii, indusiarum, 460
 Flammearum, violarium, coriarum,
 Aut manulearium, aut murobrecharum;
 Propolæ linteones, calceolarum,
 Sedentarium sutores, diabathrarum,
 Solearium adstant, adstant molochinarum; 465
 Petunt ciniflones, sarcinatores petunt;
 Strophiarum stant, stant semizonarium.

Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt
 Treceni, constant, stant phylacistæ in atriis,
 Textores, limbularum, arcularum. 470
 Ducuntur; datur æs. Iam absolutos censeas:
 Quom incedit infector crocotularium,
 Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid
 petat.

EVCLIO.

Conpellem ego illum, ni metuam, ne desinat
 Memorare mores mulierum: nunc sic sinam. 475

MEGADORVS.

Vbi nugigerulis res soluta est omnibus
 Pro illis crocotis, strophiiis, sumtu uxorio:
 Ibi ad postremum cedit miles, æs petit.
 Itur, putatur ratio cum argentario;
 Inpransus miles adstat, æs censet dari. 480
 Vbi disputata est ratio cum argentario:
 Etiam ipse ultro debet argentario:
 Spes prorogatur militi in alium diem.
 Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
 Incommoditates sumtusque intolerabiles: 485
 Nam quae indotata est, ea in potestate est viri;
 Dotatae mactant et malo et damno viros.
 Sed eccum adfinem ante aedis! Quid agis, Euclio?

EVCLIO.

Nimum lubenter edi sermonem tuom.

MEGADORVS.

Ain' ? audivistin' ?

EVCLIO.

Vsque a principio omnia. 490

MEGADORVS.

Tamen meo quidem animo aliquanto facias rectius,
 Si nitidior sis filiai in nuptiis.

EVCLIO.

Pro re nitorem et gloriam pro copia;
 Qui habent, se meminerint, unde oriundi sient;
 Neque pol, Megadore, mihi, nec quoquam pau-
 peri, 495

Opinione melius res structa est domi.

MEGADORVS.

Imo est.

EVCLIO.

Est?

MEGADORVS.

Est, et divi faciant, ut siet,
Plus plusque istucce sospitent, quod nunc habes!

EVCLIO.

Illuc mihi verbum non placet: Quod nunc habes. —
Tam hic scit, me habere, quam egomet: anus fecit
palam! 500

MEGADORVS.

Quid tu te solus e senatu sevocas?

EVCLIO.

Pol ego, ut te adcuſem, merito meditabor.

MEGADORVS.

Quid est?

EVCLIO.

Quid sit, me rogitas, qui mihi omnis angulos
Furum inplevisti in aedibus miserrumo?

MEGADORVS.

Qui?

EVCLIO.

Intromisisti in aedis quingentos cocos 505
Cum senis manibus, genere Geryonaceo,
Quos si Argus servet, qui oculus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is nunquam servet! praeterea tibicinam,
Quae mi interbibere sola, si vino scatet, 510
Corinthiensem fontem Pirenen potest!
Tum obsonium autem . . .

MEGADORVS.

Pol vel legioni sat est.

Etiam agnum misi.

M. A. PLAVTI

EVCLIO.

Quo quidem agno sat scio
 Mage curionem nusquam esse ullam beluam.

MEGADORVS.

Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio. 515

EVCLIO.

Quia ossa ac pellis totust: ita cura macet;
 Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:
 Ita is pellucet, quasi laterna Punica.

MEGADORVS.

Caedundum illum ego conduxì.

EVCLIO.

Tum tu idem (optumam est)
 Loca eferundum: nam iam, credo, mortuost. 520

MEGADORVS.

Potare ego hoc die, Euclio, tecum volo.

EVCLIO.

Non potem ego quidem hoc die.

MEGADORVS.

At ego iussero
 Cadum unum vini veteris a me adferrier.

EVCLIO.

Nolo hercle: nam mihi bibere decretum est aquam.

MEGADORVS.

Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe, 525
 Tibi quoi decretum est bibere aquam!

EVCLIO.

Sciò, quam rem agat:
 Vt me deponat vino, eam adfectat viam:
 Post hoc, quod habeo, ut conmutet coloniam.
 Ego id cavebo: nam alicubi abstrudam foras.
 Ego faxo et operam et vinum perdiderit simul. 530

MEGADORVS.

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum: ut sacrificem. —

EVCLIO.

Edepol næ tu, aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est!
Nunc hoc mihi factu est optimum, ut ted aufe-
ram,

Aula, in Fideii fanum: ibi abstrudam probe. 535
Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi,
Ne tu inmutassis nomen, si hoc concreduo!
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia,

STROBILVS.

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor; t. t. c. IV, 1
Nec moræ molestiæque imperium herile habeat
sibi. 540

Nam qui hero ex sententia servire servos postulat:
In herum matura, in se sera, condecet capessere;
Sin dormitet: ita dormitet, servom sese ut cogitet.
Nam qui amanti servitutem servit, quasi ego servio,
Si videt superare amorem: hoc servi esse officium
reor: 545

Retinere ad salutem; non, quo incumbat, illo impellere.

Pueris quasi, qui nare discunt, scirpea induitur
ratis:

Toleret, ne pessum abeant, et uti facilius moveant
manus:

Modo eodem servom ratem esse amanti hero ae-
 quom censeo;
 Tamque imperium ediscat, ut, quod frons velit,
 oculi sciant; 550
 Quod iubeat, citis quadrigis citius properet per-
 sequi.
 Qui ea curabit, abstinebit censione bubula,
 Neque opera sua in splendorem rediget unquam
 conpedes.
 Nunc herus amat filiam huius Euclionis pauperis;
 Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Me-
 gadoro dari: 555
 Id speculatum huc misit me, ut, quæ fierent, fie-
 ret particeps.
 Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam
 sacra:
 Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, ar-
 bitrarier.

EVCLIO. STROBILVS.

EVCLIO.

Tu modo cave quoiquam indicassis, aurum meum
 esse istic, Fides. t. t. c. IV, 2
 Non metuo, ne quisquam inueniat: ita probe in la-
 tebris situm est. 560
 Edepol næ illic pulcram prædam agat, si qui il-
 lam invenerit
 Aulam onustam auri. Verum id te quaeso ut pro-
 hibessis, Fides.

Nunc lavabo: ut rem divinam faciam: ne adfinem
morer,

Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat
domum.

Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut
aulam abs te auferam! 565

Tuae fide concredidi aurum; in tuo loco et fano
est situm. —

STROBILVS.

Di immortales, quod ego hunc hominem facinus
audivi loqui,

Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fa-
no! Fides,

Cave tu illi fidelis, quæso, potius fueris, quam
mihi!

Atque hic pater est, ut ego opinor, huius, herus
quam amat meus, 570

Ibo huc intro: perscrutabor fanum, si inveniam
uspian

Aurum, dum hic est occupatus. Id si reperero,
o Fides,

Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam;

Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, id
ubi fecero. —

EVCLIO.

Non temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab
læva manu. 575

Simul radebat pedibus terram, et voce crocibat
sua:

Continuo meum cor occæpit artem facere ludi-
cram,

Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere? —

I foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo;
 Modo qui nusquam comparebas, nunc, quom
 compares, peris! 580
 Ego pol te, praestigiator, miseris iam accipiam
 modis!

STROBILVS.

Quae te mala crux agitat? quid tibi mecum est
 commerci, senex,
 Quid me adflitas? quid me raptas? qua me causa
 verberas?

EVCLIO.

Verberabilissime, etiam rogitas, non fur, sed tri-
 fur?

STROBILVS.

Quid tibi subripui?

EVCLIO.

Redde huc, sis!

STROBILVS.

Quid tibi vis reddam?

EVCLIO.

Rogas? 585

STROBILVS.

Nil equidem tibi abstuli.

EVCLIO.

At illud, tibi quod abstuleras, cedo!
 Ecquid agis?

STROBILVS.

Quid agam?

EVCLIO.

Nam auferre non potes.

STROBILVS.

Quid vis tibi?

EVCLIO.

Pone!

STROBILVS.

Pol equidem datare credo consuetum, senex.

EVCLIO.

Pone hoc, sis! aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.

STROBILVS.

Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine. 590

Non hercle equidem quidquam sumsi nec tetigi.

EVCLIO.

Ostende huc manus!

STROBILVS.

Hem tibi ostendo, eccas!

EVCLIO.

Video. Age, ostende etiam tertiam!

STROBILVS.

Lariæ hunc atque intemperie insaniæque agitant senem,

Facin' iniuriam, an non?

EVCLIO.

Fateor, quia non pendes, maxumam,

Atque id quoque iam fiet, nisi fatere!

STROBILVS.

Quid fatear tibi? 595

EVCLIO.

Quam abstulisti hinc!

STROBILVS.

Di me perdant, si ego tui quidquam abstuli!

EVCLIO.

Neve adeo abstulisse vellem te! — Agedum, excutedum pallium...

STROBILVS.

Tuo arbitrato.

EVCLIO.

Ne inter tunicas habeas!

STROBILVS.

Tenta, qua lubet.

EVCLIO.

Vah, scelestus quam benigne: ut ne abstulisse intellegam!

Novi sycophantias. Age, rursus ostende huc manum

600

Dexteram!

STROBILVS.

Hem!

EVCLIO.

Nunc laevam ostende!

STROBILVS.

Quin equidem ambas profero.

EVCLIO.

Iam scrutari mitto. Redde huc!

STROBILVS.

Quid reddam?

EVCLIO.

Au, nugas agis!

Certe habes!

STROBILVS.

Habeo? quid ego habeo?

EVCLIO.

Non dico: audire expetis.

Id meum quidquid habes, redde!

STROBILVS.

Insanis: perscrutatus es
Tuo arbitrato, neque tui me quidquam invenisti
penes. 605

EVCLIO.

Mane, mane: quis ille est, qui hic intus alter erat
tecum simul?

Perii hercle: ille nunc intus turbat; hunc si amit-
to, hinc abierit.

Postremo hunc iam perscrutavi; hic nihil habet.
Abi, quo lubet!

Iupiter te dique perdant!

STROBILVS.

Gratias agis haud male.

EVCLIO.

Ibo intro atque illi socienno tuo iam interstrin-
gam gulam! 610

Fugin' ab oculis? abin' hinc, an non?

STROBILVS.

Abeo.

EVCLIO.

Cave, sis, revideam! —

STROBILVS.

Ecmortuom ego me mavelim leto malo, i. s.

Quam non ego illi dem hodie insidias seni!

Namque hic iam non audebit aurum abstrudere;

Credo, eferet iam secum et mutabit locum. 615

Attat, foris crepuit! senex eccum aurum ecfert
foras!

Tantisper ego hinc ob ianua concessero.

EVCLIO.

Fide censebam maxumam multo fidem

Esse: ea sublevit os mihi penissime.
Ni subvenisset corvos: periissem miser. 620
Nimis hercle ego illum corvom, ad me veniat,
velim,
Qui indicium fecit: illi ut ego aliquid boni
Dicam! nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum est avius, 625
Crebro salicto oppletus: ibi sumam locum.
Certum est: Silvano potius credam, quam Fide!

STROBILVS.

Euge, euge, di me salvom et servatum volunt!
Iam illuc praecurram atque inscendam aliquam in
arborem:
Inde observabo ego, aurum ubi abstrudat senex, 630
Quamquam hic manere me herus sese iusserat:
Certum est: malam rem potius quæram cum lucro!

LYCONIDES. EYNOMIA. PHAEDRA.

LYCONIDES.

Dixi tibi, mater; iuxta rem mecum tenes i. s. IV, 3
Super Euclionis filia: nunc te obsecro
Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram: 635
Fac mentionem cum avonculo, mater mea!

EYNOMIA.

Scis tute, facta velle me, quæ tu velis.
Et istuc confido a fratre me inpetrassere,

Et causa iusta est: si quidem ita est, ut praedicas,
Te eam compressisse vinolentum virginem. 640

LYCONIDES.

Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?

PHAEDRA.

Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet!
Iuno Lucina, tuam fidem!

LYCONIDES.

Hem, mater mea,
Tibi rem potiolem video: clamat, parturit.

EVNOMIA.

I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum: 645
Vt istuc, quod me oras, inpetratum ab eo aufe-
ram.

LYCONIDES.

I; iam sequor te, mater. — Sed servom meum
Strobilum miror, ubi sit, quem ego me iusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito:
Si mihi dat operam, me illi irasci iniurium est. 650
Ibo intro, ubi de meo capite fiunt comitia.

STROBILVS.

Picis divitiis, qui aureos montis colunt, i. s. IV, 4
Ego solus supero! Nam istos reges ceteros
Memorare me nolo, hominum mendicabula:
Ego sum ille rex Philippus! O lepidum diem! 655
Nam ut dudum hinc abii: multo adveni illuc prior,
Multoque prius me conlocavi in arborem;
Inde espectabam, ubi aurum abstrudebat senex.

Vbi ille abiit: ego me deorsum duco de arbore;
 Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo. E loco 660
 Video se recipere senem; me illic non videt:
 Nam ego non me declinavi paulum extra viam.
 Attat, eccum ipsum! Ibo, hoc uti condam domum.

E V C L I O.

E V C L I O.

Perii! interii! occidi! quo curram? quo non curram? — i. tr. h. IV, 5

Tene, tene! — Quem? quis? — Nescio! nil video! cæcus erro! atque equidem, t. t. 665

Quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare.

Obsecro vos ego, mihi auxilio (oro, obtestor!) sitis et hominem

Demonstretis, qui eam abstulerit! t. d.

Quid est? quid ridetis? Novi omnis: scio, fures esse hic conpluris, t. t.

Qui vestitu et creta occultant se, atque sedent, quasi sint frugi! 670

Quid ais tu? Tibi credere certum est: nam esse bonum, e voltu cognosco. —

Hem, nemo habet horum? — Occidisti! — Dic igitur, quis habeat! Nescis?

Heu me miserum! misere perii! a. d.

Male perditu', pessume ornatus, eo:

Tantum gemit et malæ mœstitiæ hic dies mihi
obtulit, i. t. 675

Famem et pauperiem! perditissimus omnium ego
sum in terra! i. t. c.

Nam quid mi opust vita, qui tantum perdidit
auri, i. tr. h.

Quod custodivi sedulo? Egomet me frudavi
Animumque meum Geniumque meum! a. d.
Nunc eo alii lætificantur, meo malo et damno!
Pati nequeo! t. t. 680

LYCONIDES. EVCLIO.

LYCONIDES.

Quinam homo hic ante ædis nostras eiulans con-
queritur mœrens? — t. t. IV, 6

At hic quidem Euclio est, ut opinor. — Oppido
ego interii! palam est res:

Scit peperisse iam, ut ego opinor, filiam suam.
Nunc mi incertum est,

Quid agam: an abeam, an maneam; an adeam, an
fugiam. Næ edepol nescio. t. t. c.

EVCLIO.

Quis homo hic loquitur?

LYCONIDES.

Ego sum miser.

EVCLIO.

Imo ego sum et misere per-
ditus, 685

Quoi mala tanta mœstitudoque obtigit.

LYCONIDES.

Animo bono es.

EVCLIO.

Quo, obsecro, pacto esse possum?

LYCONIDES.

Quia istuc facinus, quod tuom
Sollicitat animum, id ego feci et fateor.

EVCLIO.

Quid ego ex te audio?

LYCONIDES.

Pol id, quod verum est.

EVCLIO.

Quid ego de ted, adolescens,
merui mali,

Quamobrem ita faceres, meque meosque perdi-
tum ires liberos? 690

LYCONIDES.

Deus impulsor mihi fuit; is me ad illam inlexit.

EVCLIO.

Quo modo?

LYCONIDES.

Fateor, me peccavisse, et me culpam conmeritum
scio:

Id adeo te oratum advenio, ut animo æquo igno-
scas mihi.

EVCLIO.

Cur id ausus facere, ut id, quod tuom non esset,
tangeres?

LYCONIDES.

Quid vis fieri? Factum est illud: fieri infectum
non potest. 695

Deos voluisse credo: nam ni vellent, non fieret, scio.

EV-

EVCLIO.

At ego deos credo voluisse, ut apud me te in
nervo enicem!

LYCONIDES.

Ne istuc dixis!

EVCLIO.

Quid tibi ergo meam me invito tactio est?

LYCONIDES.

Quia vini vitioque amoris feci.

EVCLIO.

Homo audacissime,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum,
inpudens? 700

Nam si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies:
Luce claro deripiamus aurum matronis palam;
Post id si prehensi simus, excusemus: ebrios
Nos fecisse amoris causa. Nimis vile est vinum
atque amor,

Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lu-
beat, licet. 705

LYCONIDES.

Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam
meam.

EVCLIO.

Non mi homines placent, qui, quando male fece-
runt, purgitant.

Tu illam scibas non tuam esse: non attactum oportuit.

LYCONIDES.

Ergo quia sum tangere ausus: haud causificor,
quin eam

Ego habeam potissimum.

I.

[15]

EVCLIO.

Tun' habebas me invito meam? 710

LYCONIDES.

Haud te invito postulo; sed meam esse oportere
arbitror.

Quin meam invenies, inquam, illanc esse oportere,
Euclio.

EVCLIO.

Iam quidem hercle te ad prætorem rapiam et tibi
scribam dicam,

Nisi refers!

LYCONIDES.

Quid tibi ego referam?

EVCLIO.

Quod subripuisti meum.

LYCONIDES.

Subripui ego tuom? unde? aut quid id est?

EVCLIO.

Ita te amabit Iupiter, 715

Vt tu nescis!

LYCONIDES.

Nisi quidem tu mihi, quid quæras, dixeris.

EVCLIO.

Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confes-
sus mihi

Te abstulisse.

LYCONIDES.

Neque edepol ego dixi, neque feci.

EVCLIO.

Negas?

LYCONIDES.

Pernego. Imo enim neque ego aurum, neque istæ
aula quæ siet,

Scio nec novi.

EVCLIO.

Illam, ex Silvani luco quam abstuleras,
cedo! 720

I, refer! dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es: molestus non ero furi. I,
refer!

LYCONIDES.

Sanus tu non es, qui furem me voces: ego te,
Euclio,

Alia de re rescivisse censui, quæ ad me attinet,
Magna, quam ego tecum otiose, si otium est, cu-
pio loqui. 725

EVCLIO.

Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti?

LYCONIDES.

Bona.

EVCLIO.

Nec scis, quis id abstulerit?

LYCONIDES.

Istuc quoque bona.

EVCLIO.

Atque si scies,

Quis id abstulerit, mi indicassis?

LYCONIDES.

Faciam.

EVCLIO.

• Neque partem tibi

Ab eo, quiqui est, indipsces, neque furem excipies?

LYCONIDES.

Ita.

EVCLIO.

Quid, si fallis?

LYCONIDES.

Tum me faciat, quod volt, magnus Iu-
piter! 730

EVCLIO.

Sat habeo. Age nunc, loquere, quod vis.

LYCONIDES.

Si me novisti minus,
Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus
avonculos;

Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;
Mater est Eunomia.

EVCLIO.

Novi genus: nunc, quid vis, id volo
Noscere.

LYCONIDES.

Ex te filiam tu habes.

EVCLIO.

Imo eccillam domi. 735

LYCONIDES.

Eam tu despondisti, opinor, avonculo.

EVCLIO.

Omnem rem tenes.

LYCONIDES.

Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.

EVCLIO.

Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis?

Vt illunc di immortales omnes deæque, quantum
est, perduint,

Quem propter hodie auri tantum perdidit, infelix,
miser! 740

LYCONIDES.

Bono animo es! benedice! Nunc, quæ res tibi et
gnatæ tuæ

Bene feliciterque vortat.... Ita di faxint, inquito.

EVCLIO.

Ita di faciant!

LYCONIDES.

Et mihi ita di faciant! Audi nunc iam.

Qui homo culpam admisit in se, nullust tam par-
vi preti,

Quom pudet, quom purgat sese: nunc te obtestor,
Euclio, 745

Si quid ego erga ted imprudens peccavi aut gna-
tam tuam,

Vt mi ignoscas eamque uxorem mihi des, ut le-
ges iubent!

Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuæ,
Cereris vigiliis, per vinum atque impulsu adule-
scentiæ.

EVCLIO.

Hei mihi, quod facinus ex ted audio?

LYCONIDES.

Cur eiulas, 750

Quem ego avom feci iam ut esses filiai in nuptiis?
Nam tua gnata peperit decumo mense post (nu-
merum cape):

Ea re repudium remisit avonculus causa mea,
I intro: exquire, sitne ita, ut ego prædico,

EVCLIO.

Perii oppido:

Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se adgluti-
nant. 755

Ibo intro: ut, quid huius reii sit, sciam.

LYCONIDES.

Iam te sequar.

Hæc propemodum iam esse in vado salutis res
videtur. i. t. c.

Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum,
non reperio;

Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper; postea
intro

Hunc subsequar: nunc interim spacium ei dabo
exquirendi 760

Meum factum ex gnatæ pedisequa nutrice anu: ea
rem novit.

STROBILVS. LYCONIDES.

STROBILVS.

Di immortales, quibus et quantis me donatis gau-
diis! t. t. c. IV, 7

Quadrilibrem aulam auro onustam habeo: quis me
est ditior?

Quis me Athenis nunc mage quisquam est homo,
quod di sint propitii?

LYCONIDES.

Certo enim ego vocem hic loquentis modo me au-
dire visus sum.

STROBILVS.

Hem, 765

Herum ego adspicio meum?

LYCONIDES.

Strobilum video ego hunc, ser-
vom meum?

STROBILVS.

Ipsus est!

LYCONIDES.

Haud alius est!

STROBILVS.

Congrediar.

LYCONIDES.

Contollam gradum.

Credo ego illum, ut iussi, eampse anum adiisse,
huius nutricem virginis.

STROBILVS.

Quin ego illi me invenisse dico hanc prædam
atque eloquor?Igitur orabo, ut manu me mittat. Ibo atque elo-
quar. 770

Reperi

LYCONIDES.

Quid reperisti?

STROBILVS.

Non, quod pueri clamitant

In faba se reperisse.

LYCONIDES.

Iamne item, ut soles, deludis? t. t.

STROBILVS.

Here, mane: eloquar iam: ausculta,

LYCONIDES.

Age ergo, loquere,

STROBILVS.

Reperi hodie,

Here, divitias nimias

LYCONIDES.

Vbinam?

STROBILVS.

Quadrilibrem, inquam, aulam
auri plenam!

LYCONIDES.

Quod ego facinus audio ex ted?

STROBILVS.

Euclioni huic seni subripui. 775

LYCONIDES.

Vbi id est aurum?

STROBILVS.

In arca apud me: nunc volo me
emitti manu. t. t. c.

LYCONIDES.

Egone nunc manu te emittam, scelerum cumulatis-
sume?

STROBILVS.

Abi, here! scio, quam rem geras! lepide hercle
animum tuum tentavi! t. t.

Iam, ut eriperes, adparabas: quid faceres, si re-
perissem?

LYCONIDES.

Non potes probasse nugas. I, redde aurum!

STROBILVS.

Reddam ego aurum? 780

LYCONIDES.

Redde, inquam: huic ut reddatur.

STROBILVS.

At unde?

LYCONIDES.

Quin modo fassus es, t. t. c.

Esse in arca.

STROBILVS.

Soleo hercle ego garrere nugas: ita loquor.

LYCONIDES.

At scin', quomodo?

STROBILVS.

Vel enica hercle! hinc nunquam a me feres!

LYCONIDES.

Quid istic? quoniam pervicus abdis —! Non feram unquam?

STROBILVS.

Quod non habeo? t. t.

LYCONIDES.

Efferaris cave, ni actutum id auri est redditio seni!

STROBILVS.

Seu propensus libitarius, sive pollinctorius t. t. c. Efferar: nunquam dabo, ni noviter fodiam arrugiam.

LYCONIDES.

Vae capiti tuo!

STROBILVS.

Imo senecis et capitulo et pectori, 5 Qui auri tantum perdidit!

LYCONIDES.

Quis reperit?

STROBILVS.

Quem reperisse vis.

LYCONIDES.

Qui id in arca habere subreptum autumavit.

STROBILVS.

Quam tibi

Pulcre conniveant, here, oculi, si id fatear factum tibi!

Tecum quod lusi, non par est serio prae vortier.

LYCONIDES.

At nunc iam ne me inritassis! redde! susque deque haud agites! t. t. 10

STROBILVS.

Here, si id reperietur, certum est, gemina lancea confitentem

Te icere?

LYCONIDES.

Redde!

STROBILVS.

Attat, vis cassum!

LYCONIDES.

Redde!

STROBILVS.

Attat, incassum quæris!

LYCONIDES.

Redde! Ego propero, ut, comitiis quid proxumis, videam. Senex aulam
Auri perdidit; Megadorus repudium renuntiavit,
Filiam peperisse vitio rescit. —

STROBILVS.

Hero, quantum ego video, 15
Nemo benignior. Alii namque, quæ inventa,
occulunt vaniloqui,
Domi negant, et aliud post aliud, si qua opportu-
nitas, t. t. c.

Harpagatum est sibi. Eleusina si siet: facilem deam
Credunt; si Cotytto: non videre, quom batuat,
volunt;

Ita neque amicis neque cognatis neque dis par-
cunt, dum sibi. 20

Iste quidem, ne miserum faciat, senem aut opu-
lentam eius familiam:

Auri plenam, onustam, grandem, aulam iubet re-
ferrier:

Vt se faciat olim miserum ac familiam. Ast par-
tem mi ego

Inpartirier malim, unde redimar. Quod vortat
 bene,
 Picus sinistra cantavit, qui auri custos traditur: 25
 Ibo et aulam referam: quod mihi bene avis illæc
 occinat.

 SUPPLEMENTVM AVLVLARIAE

ANT. CODRO VRCEO, Italo Scholastico et Profes-
 sore Bononiensi, auctore, qui vixit sub Impp.
 Sigismundo et Friderico III. Aug.

— — quod non habeo.
 LYCONIDES.

Feram.

Velis, nolis! quin te quadrupedem strinxero,
 Et herniosos testes ad trabem tibi
 Divellam appenso! Sed cur in fauces moror
 Huius scelesti ruere? et animam protinus
 Cur non compello facere iter praeposterum? 5
 Das, an non?

STROBILVS.

Dabo.

LYCONIDES.

Des ut nunc, non olim, volo.

STROBILVS.

Do iam: sed me animam recipere sinas, te rogo.
 Ah, ah! quid, ut dem, poscis, here?

LYCONIDES.

Nescis, scelus?

Et auri plenam quadrilibrem aulam mihi
 Audes negare, quam te dixisti modo 10
 Abripuisse? heia, iam ubi nunc lorarii?

STROBILVS.

Here, audi pauca.

LYCONIDES.

Non audio. Lorarii,

Heus, heus!

LORARIVS.

Quid est?

LYCONIDES.

Parari ego catenas volo.

STROBILVS.

Audi, quæso! post me ligari iusseris
Quantum libet.

LYCONIDES.

Audio: sed rem expedias ocius. 15

STROBILVS.

Si me torqueri iusseris ad necem, vide,
 Quid consequare. primum servi exitium habes;
 Dein, quod concupisces, ferre non potes.
 At si me dulcis libertatis præmio
 Dudum captasses, iamdudum votis fores 20
 Potitus. Omnes Natura parit liberos,
 Et omnes libertati natura student.
 Omni malo, omni exitio, peior servitus:
 Et quem odit Iupiter, servom hunc primum facit.

LYCONIDES.

Non stulte loqueris.

STROBILVS.

Audi reliqua nunc iam: 25

Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit,
 Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos
 Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
 Et sitibundos in medio Oceani gurgite.
 Nullæ illis sunt satis divitiæ, non Midæ, 30
 Non Cræsi; non omnis Persarum copia
 Explere illorum Tartaream ingluviem potest.
 Inique domini servis utuntur suis,
 Et servi inique dominis nunc parent suis:
 Sic neutrubi fit, fieri quod iustum foret, 35
 Penum, popinas, cellas promptuarias
 Occludunt mille clavibus parci senes,

Quæ vix legitimis natis concedi volunt.
 Servi furaces, versipelles, callidi,
 Occlusa mille clavibus sibi reserant, 40
 Furtimque raptant, consumunt, ligurriunt,
 Centena nunquam furta dicturi cruce.
 Sic servitatem servi ulciscuntur mali
 Risu iocisque. Sic ergo concludo, quod
 Servos fideles liberalitas facit. 45

LYCONIDES.

Recte quidem tu; sed non paucis, ut mihi
 Pollicitus. Verum si te facio liberum:
 Reddes, quod cupio?

STROBILVS.

Reddam; sed testes volo
 Adsint. Ignosces, here: parum credo tibi.

LYCONIDES.

Vt lubet; adsint vel centum; iam nihil moror. 50

STROBILVS.

Megadore, et tu, Eunomia, adeste, precor, si libet!
 Exite! perfecta re mox redibitis.

MEGADORVS.

Qui nos vocat? hem, Lyconide.

EVCLIO.

Hem, Strobile, quid est?

Loquimini.

LYCONIDES.

Est breve quid.

MEGADORVS.

Quid id est?

STROBILVS.

Vos testes voco. 55

Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero
 Et trado Lyconidæ: Lyconides manu
 Mittit, iubetque iuris esse me mei.
 Itan' spondes?

LYCONIDES.

Spondeo.

STROBILVS.

Iamne audivistis hoc,

Quod dixit?

MEGADORVS.

Audivimus.

STROBILVS.

Enim iura per Iovem.

LYCONIDES.

Hem, quo redactus alieno ego iam sum malo! 60
Nimis procax es. Quod iubet, faciam tamen.

STROBILVS.

Heus tu, nostra aetas non multum fidei gerit:

Tabulæ notantur; adsunt testes duodecim;

Tempus locumque scribit actuarius:

Tamen invenitur rhetor, qui factum neget. 65

LYCONIDES.

Sed me cito expedi, sis.

STROBILVS.

Hem silicem tibi.

LYCONIDES.

Si ego te sciens fallam, ita me eiiciat Diespiter

Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem.

Satin'

Iam feci tibi?

STROBILVS.

Satis. Vt ego aurum apportem, eo.

LYCONIDES.

I Pegaseo gradu, et vorans viam redi. 70

LYCONIDES. STROBILVS. MEGA-
DORVS. EVNOMIA. EVCLIO.

LYCONIDES.

Grave est homini pudenti morologus nimis

Servus, qui sapere se plus volt hero suo.

Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,

Modo mihi apportet aulam auro puro gravem:

Vt Euclionem socerum ex luctu retraham 5

Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam,
 Ex compressu meo novam puerperam.
 Sed ecce redit onustus Strobilus. Vt reor,
 Apportat aulam. Et certe est aula, quam gerit.

STROBILVS.

Lyconide, porto inventum promissum tibi, 10
 Aulam auri quadrilibrem. Num serus fui?

LYCONIDES.

Nempe. O di immortales, quid video, aut quid
 habeo?

Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
 Sed evocemus Euclionem protinus.
 O Euclio, Euclio!

MEGADORVS.

Euclio, Euclio!

EVCLIO.

Quid est? 15

LYCONIDES.

Descende ad nos: nam di te servatum volunt!
 Habemus aulam.

EVCLIO.

Habetisne, an deluditis?

LYCONIDES.

Habemus, inquam. Modo, si potis, huc advola!

EVCLIO.

O magne Iupiter! o Lar familiaris et,
 Regina Iuno et noster thesaurarie 20

Alcide, tandem miserum miserati senem?

Oh, oh, quam lætis, aula, tibi amicus senex

Complector ulnis, dulci et te capio osculo!

Expleri nequeo mille vel complexibus.

O spes, o cor, luctum depulverans meum! 25

LYCONIDES.

Auro carere semper duxi pessimum

Et pueris et viris et senibus omnibus.

Pueros prostare cogit indigentia,

Viros furari, mendicari ipsos senes.

At multo peius est, ut video nunc, supra 30

Quam quod necesse est nobis, auro opulescere.

Heu, quantas passus est ærumnas Euclio
Ob aulam paulo ante a sese deperditam!

EVCLIO.

Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris? 35
An utrisque? Vtrisque potius et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni.
Hac ego te aula auri condono. Accipias libens:
Tuam hanc esse volo et filiam meam simul,
Præsente Megadoro et sorore eius, proba 40
Eunomia.

LYCONIDES.

Et habetur et refertur gratia,
Vt meritus es, socer exoptatus mi, Euclio.

EVCLIO.

Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum et me ipsum accipias nunc
libens.

LYCONIDES.

Accipio et Euclionis volo mea sit domus. 45

STROBILVS.

Quod restat, here, memento: ut liber nunc siem.

LYCONIDES.

Recte monuisti: esto merito liber tuo,
O Strobile, et turbatam iam intus cœnam para.

STROBILVS.

Spectatores, naturam avarus Euclio
Mutavit: liberalis subito factus est. 50
Sic liberalitate utimini vos quoque,
Et, si perplacuit fabula, clare plaudite!

B A C C H I D E S.

A R G V M E N T V M

suppositum atque interpolatum.

Bacchidis amore adolescens Mnesilochus furit.

Aurum ut reciperet præstitum, Ephesum is abierat.

Cretam altera Bacchis navigavit, alteram

Conventum Bacchidem; inde Athenas reveniunt.

Hinc ad sodalem dat Mnesilochus literas:

Illam conquirat; mox redit, turbas movet,

Dum putat amari suam; sed geminas ut videt:

Et retrahit per servum aurum, et pariter ambo
amant.

Senes, gnatis dum student, scortantur, potitant.

DRAMATIS PERSONAE.

PISTOCLERVS.
LYDVS.
BACCHIDES.
CHRYSALVS.
NICOBVLVS.
PHILOXENVVS.
MNESILOCHVS.
PARASITVS.
CLEOMACHVS.
MILITIS PVER.
GREX.

PROLOGVS SVPPPOSITVS.

SILENVS.

Mirum hodie est, spectatores ni in subselliis
Ridiculo obstrepunt, tussiunt, ronchos cient,
Consulcant frontem et ore concrepario
Frequenter fremunt atque male mussitant,
Vix in iuventa locum cum obtineant 5
Aut glabri histriones, aut pervolsi ludii:
Quid veternosus prodit internuncius
Senex, qui dorso fertur asinario?
Attendite, quæso, atque animum advortite,
Dum nomen huius eloquor statariæ. 10
Aequom est, vos deo facere silentium,
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, sed ut spectent, veniunt,
Auris date otiosas; at non in manum;
Hæc volo volans vox vacuas feriat. 15
Quid veremini? ictus an minus sunt noxii,
Qui rēpetunt laxa, aut hiulca obstruunt?
Estis benigni: merito vos ament cœlites,
Factum est silentium, tacent pueri.
Novam ad rem iam novom spectate nuncium, 20
Qui sim, cur ad vos veniam, paucis eloquar;
Simul huius nomen proferam comœdiæ,
Ecce labor iam vobis, quod expetitis;
Proinde vos mihi facite audientiam.

Naturæ deus sum, Bromii altor maxumi, 25
 Femineo qui peperit rem exercitu,
 Quicquid huiusce gentes ferunt inclytæ,
 Nonnihil nostro gesta sunt consilio.
 Nunquam quod mihi placet, illi displicet.
 Aequom est, si patri filius obsequitur. 30
 Asinivehidam me vocitant Ionii greges:
 Quod vecturio senex vehar asinario.
 Qui sim, tenetis? Si tenetis, sinite,
 Vt nomen huius eloquar statariæ.
 Simul sciatis, ad vos ego cur venerim. 35
 Philemon Græcam olim dedit fabulam;
 Hanc, qui græcissant, Evantides nuncupant;
 Plotus, qui latinissat, vocat Bacchides.
 Quare non est mirum, si huc advenerim.
 Bacchus bacchantis Bacchas mittit Bacchides; 40
 Ego ad vos porto. Quid dixi mendacium?
 Non decet mentiri deum. At, vera ut fabuler,
 Non ego eas porto, verum insulsus asinus,
 Via defessus, tres, si rite memorem,
 Fert: unum videtis; ore quid feram, specite: 45
 Duas sorores debacchantis Samias,
 Meretrices lepidas, uno prognatas tempore.
 Iisdem parentibus fœtu gemellitico,
 Non minus similis, quam lacti lac, si conferas,
 Aut aquam aquæ; dimidiatas imputes 50
 Has, si videres: ita confundas oculos:
 Vtra utra sit, non queas internoscere.
 Quod restat, expetitis. Iam date silentium;
 Huius argumentum eloquar Comœdiæ.
 Samos quæ terra sit, nota est omnibus: 55
 Nam maria, terras, montis atque insulas
 Vostræ legiones reddidere pervias.
 Hac Pyrgotelis Sostrata Pyrocli viro
 Vno edidit gnatas nisu geminas;
 Placuitque initiatis Trieteride, 60
 Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
 Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
 Alteram miles secum in Cretam vexerat;
 Altera de geminis adnatat Cecropias.

BACCHIDES.

247

Hanc ut Nicobuli inspicit Mnesilochus : 65
 Amare occipit, itat ad eam frequentius,
 Interea iuvenem pater mittit Ephesum,
 Vt inde referat aurum, quod posuerat
 Ipse iampridem apud Archidemidem,
 Veterem amicum, senem Phœnicarium. 70
 Is quom biennium desideret Ephesi:
 Bacchidem abiisse, durum accepit nuncium:
 Nam nautæ noti navigasse nunciant.
 Vt fugitivam cura et corde quæreret,
 Ad Philoxenis Pistoclerum filium, 75
 Sodalem unicum, sulcat epistolium.
 Dum Pistoclerus amico inpartit operam:
 Athenas dudum quæ redierant geminæ
 Conquisitorem in amorem conciant.
 Altera Pistoclerum ad sese allicit; 80
 Altera venienti desidet Mnesilocho.
 Geminæ Bacchæ duos Bacchantis pullulos
 Quid mirum si ad sese traxerunt blandulæ,
 Facetæ, pulcræ, incurvos libitinarios,
 Veterrimos senes illorum trahere patres? 85
 Sed eccum Pistoclerum, qui ad Bacchides
 Nuper inventas redit, et secum insolens
 Novos amoris disputat igniculos,
 Nunc prodeunt: audite,

PISTOCLERVS. LYDVS.

PISTOCLERVS.

Di immortales, ut sentio, quod sentio! quid?
 nescio.
 Stans fugio. Nullus est ignis, et totus ardeo.
 Quid id, nisi insania? novom profecto malum
 Video et sentio. Potisne est terra ut nutriat ho-
 minem

Atque prosternat? hodie nil præter terram et Bac-
cham tetigi. 5

Si Baccha est hæc, non nutrit Baccha, verum iu-
gulat.

Veternum quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui, quæ nossent, non nossent; quos esse cupe-
rent, nihil erant.

Quid mali hoc? an terra, an Baccha? Fecimus
naufragium!

LYDVS.

Amat hic quidem; video, Nimirum id est, quod
emissicius 10

Fora, templa, theatra, porticus, omnis fornices,
Lustra et lustralis cellulas quæsierit sedulo.

PISTOCLERVS.

Naufragus sum, fateor. Bacchus, haud Neptunus,
celocem

Hanc inpellit, agit, quassat, imo frangit, dis-
trahit.

LYDVS.

Bacchis huic procellam concitat. Actum est! per-
didimus remigium! 15

PISTOCLERVS.

Referam me ad scopulum, ut istic cum ætate rem
perduam.

Instabilis est sors rerum; pro lubricine fata agunt
homines.

Ego dum amico Mnesilocho operam impertio:
Illi amicam repperi, ubi pereat cum re assiduo;
Et mihi meæque ætati reique meæ pepererit infor-
tunium. 20

Si volt Cupido, adolescens sum: ætati licet plus-
culum

Iacturæ facere. Melius, ut id nunc fiat, quam senio.
Sapientum profecto est illud dictum, quod Lydus
increpat:

Si Astartan** on Bromium deosque voluptarios
Contempsit iuuenis, is aut insanibit, aut amabit
senex. 25

Referam me ad scopulum ex naufragio. Pater le-
get fragmina.
Sequere me, Lyde: video sorores geminas, Bac-
chanal meum.

BACCHIDES. PISTOCLERVS.

BACCHIS.

Quid? si hoc potius est, ut taceas: ego loquar?

SOROR.

Lepide! licet. t. t. c. I, 1

BACCHIS.

Vbi me fugiet memoria: ibi tu facito ut subuenias,

SOROR.

SOROR.

Pol mage metuo, ne defuerit mi in monendo ora-
tio.

BACCHIS.

Pol quoque metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio.
Sequere hac.

PISTOCLERVS.

Quid agunt duæ germanæ meretrices
cognomines? — 5

Quid in concilio consulistis?

BACCHIS.

Bene.

PISTOCLERVS.

Pol haud meretricium est.

BACCHIS.

Miserius nihil est, quam mulier.

PISTOCLERVS.

Quid esse dicis dignius?

BACCHIS.

Hæc ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,

Ab istoc milite: ut, ubi emeritum sibi sit, se revehat domum.

Id, amabo te, huic caveas.

PISTOCLERVS.

Quid isti caveam?

BACCHIS.

Vt revehatur domum, 10

Vbi ei dederit operas: ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.

Nam si hæc habeat aurum, quod ei renumeret: faciat lubens.

PISTOCLERVS.

Vbi nunc is homo est?

BACCHIS.

Iam hic, credo, aderit. Sed hoc idem apud nos rectius

Poteris agere; atque, is dum veniat, ibi sedens operibere.

Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, saviu. 15

PISTOCLERVS.

Viscus merus vostra est blanditia.

BACCHIS.

Quid iam?

PISTOCLERVS.

Quia enim intellego:

Vnum duæ expetitis palumbem. Perii, arundo
adverberat!

Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile
esse arbitror.

BACCHIS.

Qui, amabo?

PISTOCLERVS.

Quia, Bacchis, Bacchas metuo et Bac-
chanal tuom.

BACCHIS.

Quid est, quod metuis? ne tibi lectus malitiam
apud me suadeat? 20

PISTOCLERVS.

Magis inlectum tuom, quam lectum, metuo: mala
tu es bestia.

Nam huic ætati non conducit, mulier, latebrosus
locus.

BACCHIS.

Egomet, apud me si quid stulte facere cupias,
prohibeam.

Sed ego apud me te esse ob eam rem, miles quom
veniat, volo:

Quia, quom tu aderis, huic mihi que haud faciet
quisquam iniuriam: 25

Tu prohibebis; et eadem opera tuo sodali ope-
ram dabis,

Et ille adveniens tuam med esse amicam suspi-
cabitur.

Quid, amabo, obticuisti?

PISTOCLERVS.

Quia istæc lepida sunt memo-
ratui;

Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata
 sunt,
 Animum fodicant, bona distimulant, facta et fa-
 mam sauciant. 30

BACCHIS.

Ecquid ab hac metuis?

PISTOCLERVS.

Ecquid metuam, rogitas? Adulescens homo,
 Penetrem me huiusmodi in palæstram, ubi domi-
 nae desudascitur;
 Vbi pro disco damnum capiam, pro cursura de-
 decus?

BACCHIS.

Lepide memoras.

PISTOCLERVS.

Vbi ego capiam pro machæra turturem,
 Vbique inponat in manum alius mihi pro cestu
 cantharum; 35
 Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla ple-
 ctilis,
 Pro hasta talus; pro lorica malacum capiam pal-
 lium;
 Vbi pro equo mihi lectus detur, scortum pro scuto
 adcubet?

Apage a me, apage!

BACCHIS.

Ah, nimium ferus es!

PISTOCLERVS.

Mihi sum.

BACCHIS.

Malacissandus es.

Equidem tibi do hanc operam.

PISTOCLERVS.

At nimium pretiosa es operaria. 40

BACCHIS.

Simulato me amare.

PISTOCLERVS.

Vtrum istuc ego iocōn', an serio?

BACCHIS.

Heia, hoc agere meliust: miles quom huc adve-
niat, te volo

Me amplexari.

PISTOCLERVS.

Quid eo mi opus?

BACCHIS.

Vt ille te videat, volo.

Scio, quid ago.

PISTOCLERVS.

Et pol ego scio, quid metuo. Sed quid ais?

BACCHIS.

Quid est?

PISTOCLERVS.

Quid? si apud te eveniat desubito prandium aut
potatio 45Forte, aut cœna, ut solet in istis fieri conciliabulis:
Vbi ego tum adcubem?

BACCHIS.

Apud me, mi anime: ut lepidus
cum lepida adcubet.Locus hic apud nos, quamvis subito venias, sem-
per liber est.Vbi lepide voles tibi esse, mea rosa: mihi dicito.
Dato, qui bene sit; ego, ubi bene sit, tibi locum
lepidum dabo. 50

PISTOCLERVS.

Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri
potest.

BACCHIS.

Atque ecastor apud hunc fluvium est aliquid per-
dendum tibi.

Da manum et consequere.

PISTOCLERVS.

Au!

BACCHIS.

Quid ita?

PISTOCLERVS.

Quia istoc inlecebrosius
Fieri nil potest, Nox, Mulier, Vinum, homini adu-
lescentulo.

BACCHIS.

Age igitur: equidem pol nihili facio, nisi causa
tua. 55

Ille quidem abducat; tu nullus adfueris, si non
lubet.

PISTOCLERVS.

Sumne nihili autem, qui nequeam ingenio mode-
rari meo?

BACCHIS.

Quid est, quod metuas?

PISTOCLERVS.

Nihil est. Nunc ego, mulier, tibi me
emancupo;

Tuos sum; tibi dedo operam.

BACCHIS.

Lepidus! Nunc ego te facere hoc volo:
Ego sorori meæ cœnam hodie dare volo viati-
cam: 60

Ergo argentum tibi iubebo iam intus efferri foras:
Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obso-
nium.

PISTOCLERVS.

Obsonabo ego: nam id merum flagitium est, mea
te gratia

Et operam dare mi, et ad eam operam facere sum-
tum de tuo.

BACCHIS.

At ego nolo, dare te quidquam.

PISTOCLERVS.

Sine.

BACCHIS.

Sino equidem, si lubet. 65

Propera, amabo!

PISTOCLERVS.

Prius hic adero, quam te amare desinam.

SOROR.

Bene med accipis advenientem, mea soror.

BACCHIS.

Quid ita, obsecro?

SOROR.

Quia piscatus, meo quidem animo, hic tibi hodie
evenit bonus.

BACCHIS.

Meus illic quidem est: tibi nunc operam dabo de
Mnesilocho, soror:

Hic ut accipias potius aurum, quam hinc eas cum
milite. 70

SOROR.

Cupio.

BACCHIS.

Dabitur opera. — Aqua calet: eamus hinc intro: ut laves:

Nam ut in navi vecta es, credo, timida es.

SOROR.

Aliquantum, soror.

BACCHIS.

Simul hic nescio quid turbae est.

SOROR.

Quin nunc hinc decedimus?

BACCHIS.

Sequere hac igitur me intro in lectum: ut sedes lassitudinem.

LYDVS. PISTOCLERVS.

LYDVS.

Iamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor, i. s. I, 2. 75

Spectans, quas tute res hoc ornatu geras:

Namque ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem

Videtur posse hic ad nequitiam adducier.

Quo nunc capessis ted hinc advorsa via,

Cum tanta pompa?

PISTOCLERVS,

Huc, huc!

LYDVS.

Quid huc? qui istic habet? 80

PI-

PISTOCLERVS.

Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Iocus, Ludus, Sermo, suavis Suaviatio.

LYDVS.

Quid tibi commercii est cum dis damnosissimis?

PISTOCLERVS.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu dis nec recte dicis: non æquom facis. 85

LYDVS.

An deus est ullus suavis Suaviatio?

PISTOCLERVS.

An non putasti esse unquam? O Lyde, es bar-
barus,
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem!
I! stultior es barbaro Poticio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina. 90

LYDVS.

Non hic placet mi ornatus.

PISTOCLERVS.

Nemo ergo tibi
Hunc adparavit? mihi paratum est, quoi placet.

LYDVS.

Etiam me advorsus exordire argutias,
Quoi, si decem habeas linguas, mutum esse ad-
decet?

PISTOCLERVS.

Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit. 95
Magis unum in mentem est mihi nunc, satis ut
commode
Pro dignitate obsoni hoc concuret cocus.

LYDVS.

Iam perdidisti te atque me atque operam meam,
Qui tibi nequidquam sæpe monstravi bene!

PISTOCLERVS.

Ibidem meam operam perdididi ego, ubi tu tuam: 100
Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi.

LYDVS.

O præligatum pectus!

PISTOCLERVS.

Odiosus mihi es.

Tace atque sequere, Lyde, me!

LYDVS.

Illuc, sis, vide:

Non paedagogum iam me, sed Lydum, vocat!

PISTOCLERVS.

Iam excessit mi ætas ex magisterio tuo! 105
Non par videtur neque sit consentaneum,
Quom hic ipse intus siet et cum amica adcubet,
Quomque osculetur et convivæ alii adcubent:
Præsente iis paedagogus una uti siet.

LYDVS.

An hoc ad eas res obsonatum est, obsecro? 110

PISTOCLERVS.

Sperat quidem animus; quo evenat, dis in ma-
nu est.

LYDVS.

Tu amicam habebis?

PISTOCLERVS.

Quom videbis, tum scies.

LYDVS.

Imo neque habebis, nec sinam! Iturus domum?

PISTOCLERVS.

Omitte, Lyde, ac cave malo!

LYDVS.

Quid? cave malo?

O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem
lubens! 115

Video nimirum multo plus, quam volueram:

Vixisse nimio satiust iam, quam vivere!

Magistron' quemquam discipulum minitarier?

„Nil moror, discipulos esse mihi tam plenos san-
guinis.”

Valens afflictet me yacivom virium. 120

PISTOCLERVS.

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.

LYDVS.

Pol metuo mage, ne Phoenix tuis factis fuam,

Teque ad patrem esse mortuom renuntiem.

PISTOCLERVS.

Satis historiarum est!

LYDVS.

Hic vereri perdidit.

Conpendium edepol haud ætati optabile 125

Fecisti, quom istanc nactus inpudentiam! —

Occisus hic homo est. — Ecquid in mentem est
tibi,

Patrem tibi esse?

PISTOCLERVS.

Tibi ego, aut tu mihi servos es?

LYDVS.

Peior magister te istæc docuit, non ego.

Nimio es tu ad istas res discipulus docilior, 130

Quam ad illa, quae te docui, ubi operam perdididi!

PISTOCLERVS.

Istactenus tibi, Lyde, libertas data est
 Orationis: satis est. Sequere me ac tace.

LYDVS.

Edepol fecisti furtum in ætatem malum,
 Quom istæc flagitia me celavisti et patrem! 135

CHRYSALVS.

Herilis patria, salve, quam ego biennio, i. s. II, 1
 Postquam hinc in Ephesum abivi, conspicio lu-
 bens!

Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
 Propinquos nostris adcolis, veneroque te:
 Ne Nicobulum me sinas, nostrum senem, 140
 Prius convenire, quam sodalem viderim
 Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
 Mnesilochus misit super amica Bacchide.

PISTOCLERVS. CHRYSALVS.

PISTOCLERVS.

Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quæ-
 sere, i. s. II, 2
 Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim: 145
 Ita me vadatum amore vinctumque attines.

CHRYSALVS.

Proh di immortales, Pistoclerum conspicio!

O Pistoclere, salve!

PISTOCLERVS,

Salve, Chrysale!

CHRYSALVS.

Conpendi verba multa iam faciam tibi,

Venire tu me gaudes: ego credo tibi; 150

Hospitium et cœnam pollicere, ut convenit;

Peregre adveniēti: ego autem venturum adnuo;

Salutem tibi ab sodali solidam nuntio:

Rogabis, me ubi sit. Vivit.

PISTOCLERVS.

Nempe recte valet?

CHRYSALVS.

Istuc volebam ego ex te percontarier, 155

PISTOCLERVS,

Qui scire possum?

CHRYSALVS,

Nullus plus.

PISTOCLERVS.

Quemnam ad modum?

CHRYSALVS.

Quia si illa inventa est, quam ille amat: recte
valet;

Si non inventa est: minus valet, moribundus est,

Anima est amica amanti; si abest: nullus est;

Si adest: res nulla est, ipse est nequam et mi-
ser. 160

Sed tu quid factitasti mandatis super?

PISTOCLERVS.

Egon' ut quod ab illo attigisset nuntius,

Non inpetratum id adveniēti redderem?
Regiones colere mavellem Acherunticas!

CHRYSALVS.

Eho, an invenisti Bacchidem?

PISTOCLERVS.

Samiam quidem. 165

CHRYSALVS.

Vide, quæso, ne quis tractet illam indiligens:
Scis tu, ut confringi vas cito Samium solet.

PISTOCLERVS.

Iamne, ut soles?

CHRYSALVS.

Dic, ubi ea nunc est, obsecro!

PISTOCLERVS.

Hic, exeuntem me unde adspexisti modo.

CHRYSALVS.

Vt istuc est lepidum: proxumae viciniæ 170
Habitat! Ecquidnam meminit Mnesilochi?

PISTOCLERVS.

Rogas?

Imo unice unum plurimi pendit.

CHRYSALVS.

Papæ!

PISTOCLERVS.

Imo ut eam credis? misere amans desiderat.

CHRYSALVS.

Scitum istuc!

PISTOCLERVS.

Imo, Chrysale....

CHRYSALVS.

Hem!

PISTOCLERVS.

Non tantulum

Vnquam intermittit tempus, quin eum nominet. 175

CHRYSALVS.

Tanto hercle melior Bacchis.

PISTOCLERVS.

Imo...

CHRYSALVS.

Imo abiero

Potius.

PISTOCLERVS.

Num invitus rem bene gestam audis heri?

CHRYSALVS.

Non res, sed actor, mihi cor odio sauciat.

Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me
ipsum amo,

Nullam æque invitus specto, si agit Pollio. 180

Sed Bacchis etiam fortis tibi visa est?

PISTOCLERVS.

Rogas?

Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.

CHRYSALVS.

Edepol, Mnesiloche, ut hanc rem natam intellego,
Quod ames, paratum est; quod des, invento est
opus.

Nam istic fortassis aurum opust.

PISTOCLERVS.

Philippeo quidem. 185

CHRYSALVS.

Atque eo fortasse iam opust.

PISTOCLERVS.

Imo etiam prius:

Nam iam huc adveniet miles...

CHRYSALVS.

Et miles quidem?

PISTOCLERVS.

Qui de amittunda Bacchide aurum hic exiget.

CHRYSALVS.

Veniat, quando volt, atque ita, ne sibi sit morae!

Domi est: non metuo neque ego quoiquam sup-
plicio, 190

Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.

Abi intro: ego hoc curabo; tu intus dicito,

Muesilochum adesse, Bacchidi.

PISTOCLERVS.

Faciam, ut iubes.

CHRYSALVS.

Negotium ad med attinet hoc aurarium.

Mille et ducentos Philippum attulimus aureos 195

Epheso, quos hospes debuit nostro seni:

Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,

Vnde aurum efficiam amanti herili filio.

Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?

NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NICOBVLVS.

Ibo in Piræeum; visam, ecquæ advenerit i. s. II, 3. 200

In portum ex Epheso navis mercatoria:

Nam meus formidat animus, nostrum tam diu

Ibi desiderare, neque redire, filium.

CHRYSALVS.

Extexam ego illum pulcre iam, si di volunt!

Haud dormitandum est: opus est chryso Chry-
salo! 205

Adibo hunc, quem quidem hodie faciam hic arie-
tem

Phryxi ego: ita tondebo auro usque ad vivam cutem.
Servos salutat Nicobulum Chrysalus.

NICOBVLVS.

Proh di immortales, Chrysale, ubi mi est filius?

CHRYSALVS.

Quin tu prius salutem reddis, quam dedi? 210

NICOBVLVS.

Salve. Sed ubinam est Mnesilochus?

CHRYSALVS.

Vivit; valet.

NICOBVLVS.

Venitne?

CHRYSALVS.

Venit.

NICOBVLVS.

Euax, adpersisti aquam!

Benene usque valuit?

CHRYSALVS.

Pancratice atque athleticæ.

NICOBVLVS.

Quid hoc, qua causa eum hinc in Ephesum mi-
seram?

Accepitne aurum ab hospite Archidemide? 215

CHRYSALVS.

Heu, cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quaque mentio.

Tun' hospitem illum nominas, hostem tuom?

NICOBVLVS.

Quid ita, obsecro, hercle?

CHRYSALVS.'

Quia edepol certe scio,
Volcanus, Sol, Luna et Dies, dei quatuor, 220
Scelestiorem nullum inluxere alterum...

NICOBVLVVS.

Quamne Archidemidem?

CHRYSALVS.

Quam, inquam, Archidemidem.

NICOBVLVVS.

Quid fecit?

CHRYSALVS.

Quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primumdum inficias ire cœpit filio;
Negare, se debere tibi triobulum: 225
Continuo antiquom ibi hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit, Pelagonem senem:
Eo præsentem homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.

NICOBVLVVS.

Quid, ubi ei ostendit symbolum?

CHRYSALVS.

Infit dicere, 230

Adulterinum et non eum esse symbolum;
Quotque innocenti dixit contumelias!
Adulterare etiam aibat rebus ceteris.
Longum est, triconem maleficum exornarier.

NICOBVLVVS.

Habetin' aurum? Id primum mihi dici volo. 235

CHRYSALVS.

Postquam quidem prætor recuperatores dedit:
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Mille et ducentos Philippum.

NICOBVLVS.

Tantum debuit.

CHRYSALVS.

Porro etiam ausculta pugnam, quam voluit dare.

NICOBVLVS.

Etiamne est quid porro?

CHRYSALVS.

Hem, accipe: trina hæc nunc erit. 240

NICOBVLVS.

Deceptus sum: Autolyco hospiti aurum credidi.

CHRYSALVS.

Quin tu audi.

NICOBVLVS.

Imo avidi ingenium haud pernoram hospitis.

CHRYSALVS.

Postquam aurum abstulimus, in navem ut con-
scendimus,

Domum cupientes, forte ut adsedi in stega,

Dum circumspecto: atque ego tum lembum con-
spicor... 245

NICOBVLVS.

Perii hercle! lembus ille mihi lædit latus!

CHRYSALVS.

Is erat communis cum hospite et prædonibus.

NICOBVLVS.

Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem,

Quom mi ipsum nomen eius Archidemidis

Clamaret, demturum esse, si quid crederem! 250

CHRYSALVS.

Is nostræ navi lembus insidias dabat.

Occæpi ego observare eos, quam rem gerant.

Interea e portu nostra navis solvitur;

Vbi portu exiimus : homines remigio sequi,
 Neque aves neque venti citius. Quoniam sentio, 255
 Quæ res gereretur : navem extemplo statuimus.
 Quoniam vident nos stare : occeperunt ratem
 Turbare inportune.

NICOBVLVVS.

Edepol mortalis malos!

Quid denique agitis?

CHRYSALVS.

Rursum in portum recipimus.

NICOBVLVVS.

Sapienter factum a vobis! Quid illi postea? 260

CHRYSALVS.

Revorsionem ad terram faciunt vesperi.

NICOBVLVVS.

Aurum hercle auferre voluere! ei re operam da-
 bant!

CHRYSALVS.

Non me fefellit; sensi.

NICOBVLVVS.

Ego exanimus fui!

CHRYSALVS.

Quoniam videmus, auro insidias fieri:
 Capimus consilium continuo: postridie 265
 Auferimus inde aurum omne, illis praesentibus,
 Palam atque aperte: ut illi id factum sciscerent.

NICOBVLVVS.

Scite hercle! Cedo, quid illi?

CHRYSALVS.

Tristes eloco,

Quom extemplo a portu abire nos cum auro vi-
 dent,

BACCHIDES. 269

Subducunt lembum capitibus quassantibus. 270

Nos apud Theotimum omne aurum deposivimus.

NICOBVLVVS.

Qui istic Theotimus?

CHRYSALVS.

Megalobyzi filius,

Qui illi est sacerdos in Dianai Ephesiæ,

Qui nunc in Epheso est Ephesiis carissimus.

NICOBVLVVS.

Næ ille hercle mihi sit multo tanto carior, 275

Si me illoc auro tanto circumduxerit!

CHRYSALVS.

Quin ipsa Dianai in æde conditum est;

Ibidem publicitus servant.

NICOBVLVVS.

Occidisti me!

Nimio hic privatim servaretur rectius.

Sed nilne iam attulistis inde auri domum? 280

CHRYSALVS.

Imo etiam. Verum, quantum attulerit, nescio.

NICOBVLVVS.

Quid? nescis?

CHRYSALVS.

Quia Mnesilochus noctu clanculum

Devenit ad Theotimum, nec mihi credere

Nec quoquam in navi voluit: eo ego nescio,

Quantumne attulerit; verum haud permultum at-
tulit. 285

NICOBVLVVS.

Etiam dimidium censes?

CHRYSALVS.

Non edepol scio;

Verum haud opinor.

NICOBVLVVS.

Fertne partem tertiam?

CHRYSALVS.

Non hercle opinor; verum verum nescio.

Profecto de auro nil scio, nisi nescio.

Nunc tibimet illuc navi capiundum est iter, 290

Vt illud reportes aurum ab Theotimo domum.

Atque heus tu!

NICOBVLVVS.

Quid vis?

CHRYSALVS.

Anulum tu ut memineris

Tui gnati facito ferre.

NICOBVLVVS.

Quid opust anulo?

CHRYSALVS.

Quia id signum est cum Theotimo: qui eum illi
adferet,

• Ei aurum ut reddat.

NICOBVLVVS.

Meminero: recte mones. 295

Sed istic Theotimus divesne est?

CHRYSALVS.

Etiam rogas,

Qui soccis habeat auro subpactum solum?

NICOBVLVVS.

• Cur ita fastidit?

CHRYSALVS.

Tantas divitias habet:

Nescit, quid faciat auro.

NICOBVLVVS.

Mihi dederit velim.

Sed qui præsente id aurum Theotimo datum
est? 300

CHRYSALVS.

Populo præsente; nullus Ephesi, quin sciat.

NICOBVLVS.

Istuc sapienter saltem fecit filius,
Quom diviti homini id aurum servandum dedit:
Ab eo licebit quamvis subito sumere.

CHRYSALVS.

Imo enim tantisper nunquam te morabitur, 305
Quin habeas illud, quo die illuc veneris.

NICOBVLVS.

Censebam, me ecfugisse a vita maritima,
Ne navigarem tandem hoc ætatis senex;
Id mi haud, utrum velim, licere intellego:
Ita bellus hospes fecit Archidemides. 310
Vbi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?

CHRYSALVS.

Deos atque amicos it salutatum ad forum.

NICOBVLVS.

At ego hinc ad illum: ut convenam, quantum
potest. —

CHRYSALVS.

Ille est oneratus recte et plus iusto vehit!
Exorsa hæc tela non male omnino mihi est: 315
Vt amantem herilem copem facerem filium.
Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret;
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Epheson ibit, aurum arcessere;
Hic nostra agetur ætas in malacum modum, 320
Si quidem hic relinquet, nec secum abducet, senex
Med et Mnesilochum. Quas ego hic turbas dabo! —

Sed quid futurum est, quom hoc senex resciverit?
 Quom se excucurrisse illuc frustra sciverit,
 Nosque aurum abusos? quid me fiet postea? 325
 Credo hercle, adveniens nomen mutabit mihi,
 Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.
 Aufugero hercle, si magis usus venerit;
 Si ero reprehensus, macto illum infortunio!
 Si illi sunt virgæ ruri: at mihi tergum domi est! 330
 Nunc ibo: herili filio hanc fabricam dabo
 Super auro amicaque eius inventa Bacchide.

 L Y D V S.

Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci,
 obsecro! t. t. c. III, 1
 Nam equidem haud aliter esse duco: quippe quo
 nemo advenit,
 Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi pos-
 siet. — 335
 Bacchides non Bacchides, sed Bacchæ sunt acer-
 rumae.
 Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent
 sanguinem!
 Omnis ad perniciem instructa domus opime atque
 opipare!
 Quae ut adspexi: me continuo contuli protinam
 in pedes.
 Egone ut haec conclusa gestem clanculum? ut ce-
 lem patrem, 340
 Pi-

Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula,
 Quibus patrem et me teque amicosque omnis ad-
 fectas tuos

Ad probrum, damnum, flagitium adpellere una et
 perdere?

Neque mei neque te tui intus puditum est factis,
 quae facis,

Quibus tuom patrem, meque una, amicos, adfinis
 tuos, 345

Tuad infamia fecisti gerulifigulos flagiti!

Nunc priusquam malum istuc addis: certum est,
 iam dicam patri.

De me hanc culpam demolibor iam, et seni faciam
 palam:

Vt eum ex luculento cœno propere hinc eliciat
 foras.

 M N E S I L O C H V S.

Multimodis meditatus egomet mecum sum, et ita
 esse arbitror: t. t. c. III, 2. 350

Homini amico, qui est amicus ita, uti nomen pos-
 sidet,

Nisi deos, ei nil præstare. Id opera expertus sum
 esse ita:

Nam ut in Ephesum hinc abii (hoc factum est
 ferme abhinc biennium):

Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem li-
 teras

Misi, amicam ut mi inveniret Bacchidem; illum
intellego 355

Invenisse, ut servos meus mihi nuntiavit Chrysalus.

Condigne isque technam de auro advorsum
meum fecit patrem:

Vt mihi amanti copia esset. Id ei me æquom est
reddere:

Nam pol, meo quidem animo, ingrato nihil est
homine inpensius;

Malefactorem amitti satius, quam relinqui bene-
ficum. 360

Præstat nimio, inpendiosum te, quam ingratum,
dicier:

Illum laudabunt boni; hunc etiam ipsi culpabunt
mali.

Qua mihi causa mage concurato atque advigilato
est opus.

Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certa-
men cernitur,

Sisne necne, ut esse oportet; malus, bonus, quo-
iusmodi, in- 365

iustus, iustus; malignus, largus; commodus, ne in-
commodus.

Cave, sis, te superare servom siris faciundo bene!
Vtut eris, moneo, haud celabis. — Sed eccos vi-
deo incedere

Patrem socienni et magistrum. Hinc auscultabo,
quam rem agant.

LYDVS. PHILOXENVVS. MNESILO-
CHVS.

LYDVS.

Nunc experiar, sitne acetum tibi coram acre in
pectore. t. t. c. III, 3. 370

Sequere.

PHILOXENVVS.

Quo sequar? quo ducis nunc me?

LYDVS.

Ad illam, quæ tuom
Perdidit, pessumdedit, tibi filium unice unicum.

PHILOXENVVS.

Heia, Lyde, leniter qui sæviunt, sapiunt magis.
Minus mirandum est, illæc ætas si quid illorum
facit,

Quam si non facit. Feci istæc itidem in adu-
lescentia. 375

LYDVS.

Hei mihi, hei mihi, istæc illum perdidit adsentatio!
Nam absque te esset, ego illum haberem rectum
ad ingenium bonum;
Nunc propter te tuamque pravos factus est fidu-
ciam

Pistoclerus.

MNESILOCHVS.

Di immortales, meum sodalem hic nominat!
Quid hoc negoti est, Pistoclerum Lydus quod he-
rum tam ciet? 380

PHILOXENVVS.

Lyde, paulisper lubido est homini suo animo ob-
sequi;

Iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit,
Morem geras.

Dum caveatur, præter æquom ne quid delinquat:
sine.

LYDVS.

Non sino, neque equidem illunc me vivo corrup-
pi sinam.

Sed tu, qui tam pro corrupto dieis causam filio, 385
Eademne erat hæc disciplina tibi, quom tu adu-
lescens eras?

Nego, tibi hoc annis viginti fuisse primis copiae,
Digitum longe a pædagogo pedem ut efferres
ædibus.

Id quom obtigerat: hoc etiam ad malum arces-
sebatur malum:

Et discipulus et magister perhibebantur improbi.
Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras:
Gymnasi præfecto pœnas penderes haud me-
diocris.

Illi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo, sese exercebant mage, quam scorto aut
saviis:

Illi suam ætatem extendebant, non in latebrosis
locis. 395

Inde de hippodromo et palæstra ubi revenisses
domum:

Cincticulo præcinctus apud magistrum in sella ad-
sideres;

Quom librum legeres, si tu unam peccavisses syl-
labam:

Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis
pallium.

MNESILOCHVS.

Propter me hæc nunc meo sodali dici, discrucior
miser: 400

Innocens suspicionem hanc sustinet causa mea.

PHILOXENVVS.

Alii, Lyde, nunc sunt mores.

LYDVS.

Id equidem ego certo scio:
Nam olim populi prius honorem capiebat suffra-
gio,

Quam magistro desinebat esse dicto obediens;
At nunc priusquam septuennis est, si attingas eum
manu: 405

Puer extemplo pædagogo tabula dirumpit caput.
Patrem quom adeas postulatum: puero sic dicit
pater:

„Noster esto, dum te poteris defensare iniuria!”
Provocatur pædagogus: „Eho, senex minimi preti,
Ne adtigas puerum istac causa: quando fecit stre-
nue.” 410

It magister, quasi laterna, uncto expletus linteo,
Intus illinc, iure dicto. Istoccine hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipse primus va-
pulet?

MNESILOCHVS.

Acris postulatio hæc est, quom huius dicta in-
tellego.

Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit. 415

PHILOXENVVS.

Sed quis hic est, quem adstantem video ante ostium?

LYDVS.

O Philoxene . . .

MNESILOCHVS.

Deos me propitios videre, quam illunc, mavellem
mihi!

PHILOXENVS.

Quis illic est?

LYDVS.

Mnesilochus, gnati tui sodalis Pistocleri, t. t.
Haud consimili ingenio atque ille est, qui in lu-
panari ad cubat. t. t. c.
Fortunatum Nicobulum, qui illunc produxit sibi! 420

PHILOXENVS.

Salvos sis, Mnesiloche; salvom te advenire, gaudeo.

MNESILOCHVS.

Di te ament, Philoxene.

LYDVS.

Hic enim rite productust patri:
In mare it; rem familiarem curat; custodit domum;
Obsequens obediensque est mori atque imperiis
patris.

Hic sodalis Pistoclero iam puer puero fuit; 425
Triduum non interest ætatis, uter maior siet:
Verum ingenium plus triginta est annis maius, quam
alteri.

PHILOXENVS.

Cave malo, et conpesce in illum dicere iniuste!

LYDVS.

Tace:

Stultus es, qui illi male ægre patere dici, qui
facit.

Nam illum meum malum promptare malim, quam
peculium. 430

PHILOXENVVS.

Quidum?

LYDVS.

Quia, malum si promtet, indies faciat minus.

MNESILOCHVS.

Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum
tuom?

LYDVS.

Periit tibi sodalis!

MNESILOCHVS.

Ne di sirint!

LYDVS.

Sic est, ut loquor.

Quin ego, quom peribat, vidi; non ex audito arguo.

MNESILOCHVS.

Quid factum est?

LYDVS.

Meretricem indigne deperit...

MNESILOCHVS.

Non tu taces? 435

LYDVS.

Atque acerrumam: est, absorbet, vivos, ubi quem-
que attigit.

MNESILOCHVS.

Vbi ea mulier habitat?

LYDVS.

Hic.

MNESILOCHVS.

Vnde esse eam aiunt?

LYDVS.

Ex Samo.

MNESILOCHVS.

Quae vocatur?

LYDVS.

Bacchis.

MNESILOCHVS.

Erras, Lyde. Ego omnem rem scio,
 Quemadmodum est; tu Pistoclerum falso atque in-
 sontem arguis:

Nam ille amico et benevolenti suo sodali sedulo 440
 Rem mandatam exsequitur; ipse neque amat, nec
 tu creduas.

LYDVS.

Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,
 Ipsus in gremio osculantem mulierem ut teneat
 sedens?

Nullon' pacto res mandata potis agi, nisi itentidem
 ma- t. t.

num ferat ad papillas, nunquam labra a labris aufe-
 rat? t. t. c. 445

Nam alia me memorare, quae illum facere vidi,
 disputet:

Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit
 Bacchidi

Me praesente, neque pudere quidquam. Quid verbis
 opust?

Mihi discipulus, tibi sodalis, perii, huic filius:

Nam ego illunc periisse dico, quoi quidem perii
 pudor. 450

Quid opust verbis? si opperiri vellem paulisper
 modo,

Aut inopinato inspectandi mi esset maior copia:
 Plus vidissem quam deceret, quam me atque illo
 æquom foret.

MNESILOCHVS.

Perdidisti me, sodalis! Egone ut illanc mulierem
 Capitis non perdam? Perire me malis malim mo-
 dis! 455

Satin', ut, quem fidelem tu habeas, aut quoi cre-
 das, nescias?

LYDVS.

Viden', ut ægre patitur, esse gnatum corruptum
 tuom,

Suom sodalem? ut ipsum sese cruciat ægritudine?

PHILOXENVS.

Mnesiloche, hoc tecum oro: ut illius animum at-
 que ingenium regas.

Serva tibi sodalem, et mihi filium!

MNESILOCHVS.

Factum volo. 460

PHILOXENVS.

In te ergo hoc onus omne inpono. Lyde, sequere
 hac me.

LYDVS.

Sequor.

Melius esset, me quoque una si cum illoc relin-
 queres.

PHILOXENVS.

Adfatim est. — Mnesiloche, cura et concastiga ho-
 minem probe,

Qui dedecorat me, te, amicos alios flagitiis suis!



M N E S I L O C H V S.

Inmitiorem nunc utrum credam magis i. s. III, 4. 465
Sodalemne esse an Bacchidem, incertum admo-
dum est.

Illum exoptavit potius? Habeat! optimum est!
Nae illa hercle fecit cum malo summo suo:
Nam mihi divini nunquam quisquam creduat,
Ni ego illam — exemplis plurimis planeque amo! 470
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat:
Nam iam domum ibo atque — aliquid subripiam
patri;

Id isti dabo. Ego istanc multis ulciscar modis!
Adeo ego illanc cogam usque, ut — mendicet pater!
Sed satin' ego animum mente sincera gero, 475
Qui ad hunc modum haec hic, quae futura, fa-
bulor?

Amo hercle, opinor: utpote quod certo sciam;
Verum quam illa unquam de meis opulentiis
Ramenta fiat plumea propensior:
Mendicum malim mendicando vincere, 480
Moriri malim med excruciatum inopia!
Nunquam edepol viva me inridebit: nam mihi
Decretum est, renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mi inani atque inopi subblandibitur
Tum, quom sibi ea res nihilo pluris referet, 485
Quam si ad sepulcrum mortuo dicat iocum.
Profecto stabile est, patri me aurum reddere!
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat, neu quid ei suscenseat
Mea causa de auro, quod eum ludificatus est: 490

Nam illi æquom est me consulere, qui causa mea
Mendacium nunc dixit. Vos me sequimini.

P I S T O C L E R V S.

Rebus aliis antevortar, Bacchis, quae mandas mi-
hi: t. t. c. III, 5
Mnesilochum ut requiram atque ut eum mecum
ad te adducam simul.
Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit
nuntius, 495
Quid remoratur. Ibo et visam huc ad eum, si
forte est domi.

MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

MNESILOCHVS.

Omne patri reddidi aurum. Nunc ego illam me
velim t. t. c. III, 6
Convenire, postquam inanis sum, contemtricem
meam!
Sed veniam mihi quam gravate pater dedit de
Chrysalo!
Verum postremo impetravi, ut ne quid ei suscen-
seat. 500

PISTOCLERVS.

Estne hic meus sodalis?

MNESILOCHVS.

Estne hic hostis, quem adspicio, meus?

PISTOCLERVS.

Certe is est.

MNESILOCHVS.

Is est.

PISTOCLERVS.

Adibo contra.

MNESILOCHVS.

Contollam gradum.

PISTOCLERVS.

Salvos sis, Mnesiloche.

MNESILOCHVS.

Salve.

PISTOCLERVS.

Salvos quom peregre advenis:

Coena detur.

MNESILOCHVS.

Non placet mihi coena, quæ bilem movet.

PISTOCLERVS.

Num quæ adveniēti ægritudo obiecta est?

MNESILOCHVS.

Atque acerruma. 505

PISTOCLERVS.

Vnde?

MNESILOCHVS.

Ab homine, quem mihi amicum esse arbitratus
sum antidhac.

PISTOCLERVS.

Multi more isto atque exemplo vivont, quos quom
censeas

Esse amicos: reperiuntur falsi falsimoniis,

Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
 Nullus est, quoi non invideant rem secundam ob-
 tingere; 510
 Sibimet ne invideatur ipsis, recte id ignavi cavent.

MNESILOCHVS.

Edepol næ tu illorum mores perquam meditate
 tenes.

Sed etiam unum hoc ex ingenio malum malo in-
 veniunt suo:

Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis ha-
 bent;

Atque ii se cum frustrant, frustrare alios stolidi
 existumant; 515

Sicut est hic, quem esse amicum ratus atque ip-
 sus sum mihi:

Ille, quod in se fuit, adcuratum habuit, quod pos-
 set mali

Facere in med, inconciliare copias omnis meas.

PISTOCLERVS.

Inprobum istunc esse oportet hominem.

MNESILOCHVS.

Ita esse, ego arbitror.

PISTOCLERVS.

Obsecro hercle, loquere, quis is est?

MNESILOCHVS.

Benevolens vivit tibi: 520

Nam ni ita esset, tecum orarem, ut eii, quod pos-
 ses mali

Facere, faceres.

PISTOCLERVS.

Dic modo hominem, qui sit. Si non fecero
 Ei male aliquo pacto: me esse dicito ignavissimum.

MNESILOCHVS.

Nequam homo est; verum hercle amicus est tibi.

PISTOCLERVS.

Tanto magis

Dice, quis is est: nequam ego hominis parvi pen-
do gratiam. 525

MNESILOCHVS.

Video, non potesse, quin tibi eius nomen eloquar:
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus!

PISTOCLERVS.

Quid istuc est!

MNESILOCHVS.

Quid sit? Misine ego ad te ex Epheso
epistolam

Super amica, ut mi invenires?

PISTOCLERVS.

Fateor factum, et reperi.

MNESILOCHVS.

Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis
copia, 530

Quibuscum haberes rem, nisi illam, quam ego
mandassem tibi,

Tute amare occiperes et med ires consultum male?

PISTOCLERVS.

Sanun' es?

MNESILOCHVS.

Rem reperi omnem ex tuo magistro: ne nega.
Perdidisti me!

PISTOCLERVS.

Etiamne ultro tuis me prolectas probris?

MNESILOCHVS.

Quid? amas Bacchidem?

BACCHIDES.

287

PISTOCLERVS.

Duas ergo hic intus eccas Bacchides... 535

MNESILOCHVS.

Quid duæ?

PISTOCLERVS.

Atque ambas sorores.

MNESILOCHVS.

Loquere nunc nugas sciens.

PISTOCLERVS.

Postremo ego, si pergis parvam mihi fidem arbi-
trariæ,

Tollam ted in collum atque intro hinc auferam.

MNESILOCHVS.

Imo ibo: mane.

PISTOCLERVS.

Non maneo, neque tu me habebis falso suspectum.

MNESILOCHVS.

Sequor.

PARASITVS. PVER.

Parasitus ego sum nequam hominis atque impro-
bi, i. s. IV, 1. 540

Militis, qui amicam secum avexit ex Samo.

Nunc me ire iussit ad eam et percontarier,

Vtrum aurum reddat, ane eat secum simul.

Tu dudum, puere, qui cum illa usque isti simul,

Quæ haruñc sunt ædes, pulta! adi actutum ad fo-
ris! — 545

Recedin' hinc dierecte? ut pultat propudium!
 Comesse panem tris pedes latum potes,
 Foris pultare nescis! Ecquis in ædibust?
 Heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?
 Ecquis exit?

PISTOCLERVS. PARASITVS.

PISTOCLERVS.

Quid istuc? quae istaec est pulsa-
 tio? i. s. IV, 2. 550

Quæ te mala crux agitat, qui ad istunc modum
 Alieno viris tuas extentes ostio?
 Foris pene ecfregisti! Quid nunc vis tibi?

PARASITVS.

Adulescens, salve.

PISTOCLERVS.

Salve. Sed quem quæritas?

PARASITVS.

Bacchidem.

PISTOCLERVS.

Vtramne ergo?

PARASITVS.

Nil scio, nisi Bacchidem. 555

Paucis me misit miles ad eam Cleomachus:
 Vel ut ducentos Philippos reddat aureos;
 Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.

PISTOCLERVS.

Non it; negat esse ituram. Abi et renuntia!
 Alium illa amat, non illum. Duce te ab ædibus! 560

PA-

PARASITVS.

Nimis iracunde!

PISTOCLERVS.

At scin', quam iracundus siem?

Næ tibi hercle haud longe est os ab infortunio:
Ita dentifrangibula hæc meis manibus gestiunt!

PARASITVS.

Quom ego huius verba interpretor: mihi cautio est,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis. — 565
Tuo ego istæc igitur dicam illi periculo.

PISTOCLERVS.

Quid ais tu?

PARASITVS.

Ego istuc illi dicam.

PISTOCLERVS.

Dic mihi,

Quis tu es?

PARASITVS.

Illius sum integumentum corporis.

PISTOCLERVS.

Nequam esse oportet, quoi tam integumentum in-
probum est.

PARASITVS.

Sufflatus ille huc veniet.

PISTOCLERVS.

Disruptum velim! 570

PARASITVS.

Numquid vis?

PISTOCLERVS.

Abeas celeriter! factum est opus.

PARASITVS.

Vale, dentifrangibule.

PISTOCLERVS.

Et tu, integumentum, vale.

In eum hæc revenit res locum, ut, quid consili
Dem meo sodali super amica, nesciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri, 575
Neque numus ullust, qui reddatur militi.
Sed huc concedam: nam concrepuerunt fores:
Mnesilochus eccum mœstus progreditur foras.

MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

MNESILOCHVS.

Petulans, protervo, iracundo que, animo, indomito,
incogitato, t. t. IV, 3
Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque
honore! 580
Incredibilis, animique inpos, inlepidus, inamabi-
lis, vivo,
Malevolente ingenio natus! postremo id mihi est,
quod nolo e-
go aliis esse. Credibile hoc est? t. d.
Nequior nemo neque est indignior, quoi di be-
nefaciant, t. t.
Neque quem quisquam aut amet, aut adeat homo!
Inimicos quamde amicos 585
Aequius med est habere! t. d.
Malos quam bonos par magis me iuvare! b. t.
Omnibus, quae improbis digna sunt, dignior c. t.
Nullus homo, qui patri reddidi omne aurum amans,
Quod fuit prae manu! Sumne ego miser ho-
mo? 590
Perdidi me et operam Chrysalis! c. tr.

PISTOCLERVS.

Consolandus hic mi est. Ibo ad eum. Mnesiloche,
quid fit?

MNESILOCHVS.

Perii! t. t.

PISTOCLERVS.

Di melius faciant!

MNESILOCHVS.

Disperii!

PISTOCLERVS.

Non taces, insipiens?

MNESILOCHVS.

Taceam!

PISTOCLERVS.

Sanus satis non es.

MNESILOCHVS.

Disperii! multa mala mi in pectore t. t. c.
Nunc acria atque acerba eveniunt! Criminin' fidem
me habuisse? — t. t. 595

Inmerito iratus tibi fui.

PISTOCLERVS.

Heia, habe bonum animum! i. tr. h.

MNESILOCHVS.

Vnde habeam? Pluris mortuos pretist, quam ego
sum!

PISTOCLERVS.

Parasitus militis venerat modo, aurum hinc petere;
Eam dictis ego malis his foribus reieci hominem.

MNESILOCHVS.

Quid id prodest mihi? quid faciam? Nil habeo,
miser! Ille

Hanc quidem, scio, abducat.

PISTOCLERVS.

Si mihi sit: non! polliceor!

MNESILOCHVS.

Duis, scio; novi: sed, ni ames: nunc non tibi
tantum

Fidem habeam: nunc sat agitas tute tuarum rerum.
Egone ut opem mihi ferre posse putem inopem te?

PISTOCLERVS.

Tace modo: aliquis nos deus respiciet!

MNESILOCHVS.

Nugae! 605

PISTOCLERVS.

Mane!

MNESILOCHVS.

Quid est?

PISTOCLERVS.

Tuam copiam eccam Chrysalum video.

CHRYSALVS. MNESILOCHVS. PI-
STOCLERVS.

CHRYSALVS.

Hunc hominem decet auro expendi; decet huic
statuam statui ex auro: t. t. IV, 4

Nam duplex hodie facinus feci; duplicibus spoliis
sum adfectus!

Herum maiorem meum ut ego hodie lusi lepide!
ut ludificatus!

Callidum callidus conpuli et perpuli, c. t. 610

Mi omnia ut crederet! Nunc amantid hero

Filio, quicum ego bibo et edo, et quicum amo,

Regias copias aureasque obtuli:
 Ut domo sumeret, neu foris quæreret!
 Non mihi isti placent Parmenones, Syri, 615
 Qui duas aut minas tris heris auferunt!
 Nequius nil quam egens consili servos est!
 Nisi habet pectus multipotens: ubicunque usus siet,
 expromat. as. ex. t. d. et i. d. e.
 Nullus frugi esse pote homo, nisi, qui et bene et
 male facere teneat.
 Inprobus cum improbis sit! furibus harpagato, quod
 queat! 620
 Versipellem frugi convenit esse hominem, quoi sa-
 pit pectus.
 Bonus bonis sit, malus malis! Vtcunque est res,
 ita animum habeat.
 Sed lubet scire, quantum herus demsit sibi, et
 quid reddidit patri.
 Si frugi: Herculem patrem fecit: dedit ei decu-
 mam partem,
 Sibi novem abstulit. Sed quem quæro, ecce optu-
 me obviam est mi. 625
 Num qui numi, here, exciderunt tibi, quod sic ter-
 ram obtuere?
 Quid vos mœstos esse conspicio? Non placet, nec
 temere est.
 Etiam quid mihi respondetis? t. d.
 MNESILOCHVS.
 Chrysale, occidi!
 CHRYSALVS.
 Fortassis tu auri demsisti parum. t. t. e.
 MNESILOCHVS.
 Qui, malum, parum? Imo vero nimio minus multo
 parum. 630

CHRYSALVS.

Quid igitur tu, stulte, quoniam occasio ad eam rem
fuit

Mea virtute parta, ut, quantum velles, tantum su-
meres,

Sic hoc sumebas duobus digitulis primoribus?

An nescibas, quam eiusmodi homini raro tempus
se daret?

MNESILOCHVS.

Erras.

CHRYSALVS.

At quidem tute errasti, quom parum immersti
ampliter. 635

MNESILOCHVS.

Pol tu, quam nunc, me ad cuses mage, si mage
rem noveris.

Occidi!

CHRYSALVS.

Animus iam istoc dicto plus praesagitur mali.

MNESILOCHVS.

Perii!

CHRYSALVS.

Quid ita?

MNESILOCHVS.

Quia patri omne cum ramento reddidi.

CHRYSALVS.

Reddidisti?

MNESILOCHVS.

Reddidi.

CHRYSALVS.

Omnene?

MNESILOCHVS.

Oppido.

CHRYSALVS.

Occisi sumus!

Qui tibi venit in mentem, istuc facinus facere tam
malum? 640

MNESILOCHVS.

Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen,
Chrysale,
Mihi male consuluisse: ob eam rem omne aurum
iratus reddidi

Meo patri.

CHRYSALVS.

Quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?

MNESILOCHVS.

Aurum id me accepisse extemplo ab hospite Ar-
chidemide,

CHRYSALVS.

Hem, istoc dicto dedidisti hodie in cruciatum Chry-
salum: 645

Nam ubi me adspiciet, ad carnificem rapiet con-
tinuo senex,

MNESILOCHVS.

Ego patrem exoravi.

CHRYSALVS.

Nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor?

MNESILOCHVS.

Imo tibi ne noceat, neu quid ob eam rem suscen-
seat;

Atque ægre inpetravi. Nunc hoc tibi curandum
est, Chrysale...

CHRYSALVS.

Quid vis curem?

MNESILOCHVS.

Vt ad senem etiam tu alteram fa-
cias viam, 650

Conpara, fabricare, finge, quod lubet, conglutina:
Vt senem hodie doctum docte fallas aurumque
auferas.

CHRYSALVS.

Vix videtur fieri posse.

MNESILOCHVS.

Perge, ac facile ecfeceris.

CHRYSALVS.

Quam, malum, facile, quem mendaci prendit ma-
nufesto modo?

Quem si ego orem, ut nil mihi credat, id non au-
sit credere? 655

MNESILOCHVS.

Imo si audias, quae dicta dixit me advorsum tibi!

CHRYSALVS.

Quid dixit?

MNESILOCHVS.

Si tu illum solem sibi solem esse dixeris:
Se illum lunam credere esse, et noctem, qui nunc
est dies.

CHRYSALVS.

Emungam hercle hominem probe hodie: ne id
nequidquam dixerit.

MNESILOCHVS.

Nunc quid nos vis facere?

CHRYSALVS.

Enim nil, nisi ut ametis, impero. 660

Ceterum quantum lubet me poscitate aurum: ego
dabo.

Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis
probo?

Sed nunc quantillum usust auri tibi, Mnesiloche?
dic mihi.

MNESILOCHVS.

Militi numis ducentis iam usus est pro Bacchide.

CHRYSALVS.

Ego dabo.

PISTOCLERVS.

Tum sumtu nobis opus est...

CHRYSALVS.

Ah, placide volo 665

Vnumquidque agamus! Hoc ubi egero: tum istuc
agam.

De ducentis numis primum balistam intendam in
senem;

Ea balista si pervortam turrim et propugnacula:
Recta porta invadam extemplo in oppidum anti-
quom et vetus;

Id si capso: amicis vestris geritote aurum cor-
bibus! 670

Sed quo spectat animus?

PISTOCLERVS.

Apud te est animus noster, Chrysale.

CHRYSALVS.

Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem, at-
que efer cito...

PISTOCLERVS.

Quid?

CHRYSALVS.

Stilum, ceram et tabellas et linum.

PISTOCLERVS.

Hic iam faxo erunt.

MNESILOCHVS.

Quid nunc es facturus? id mihi dice.

CHRYSALVS.

Coctum est prandium;
Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum ter-
tia. 675

MNESILOCHVS.

Sicut dicis,

CHRYSALVS.

Pistoclero nulla amica est?

MNESILOCHVS.

Imo adest:

Alteram ille amat sororem, ego alteram, ambas
Bacchides.

Quid tu loquere, hoc ut facturi sumus?

CHRYSALVS.

Vbi est biclinium

Vobis stratum?

MNESILOCHVS.

Quid id exquiris?

CHRYSALVS.

Res ita est: dici volo.

Nescis, quid ego acturus sim, neque, facinus quan-
tum exordiar. 680

MNESILOCHVS.

Cedo mauum ac subsequere propius me ad foris!
intro inspice!

CHRYSALVS.

Eu-

ax nimis bellus atque, ut esse maxime optabam,
locus!

PISTOCLERVS.

Quae imperavisti, imperatum bene bonis factum
eloco est.

CHRYSALVS.

Quid parasti?

PISTOCLERVS.

Quae parari tute iussisti omnia,

CHRYSALVS.

Cape stilum prope et tabellas tu has tibi.

MNESILOCHVS.

Quid postea? 685

CHRYSALVS.

Quod iubebo, scribito istic: nam propterea te
volo

Scribere: ut pater cognoscat literas, quando legat.
Scribe.

MNESILOCHVS.

Quid scribam?

CHRYSALVS.

Salutem tuo patri verbis tuis,

PISTOCLERVS.

Quid, si potius morbum et mortem scribat? id
erit rectius.

MNESILOCHVS.

Ne interturba. Iam imperatum in cera inest.

CHRYSALVS.

Dic, quemadmodum? 690

MNESILOCHVS.

„Mnesilochus salutem dicit suo patri.”

CHRYSALVS.

Adscribe hoc cito:

„Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte,
pater:

„Quia tibi aurum reddidi, et quia non te defru-
daverim.”

PISTOCLERVS.

Mane, dum scribit.

CHRYSALVS.

Celerem oportet esse amatoris manum.

PISTOCLERVS.

Atque idem hercle est ad perdendum mage, quam
ad scribendum, citus. 695

MNESILOCHVS.

Loquere: hoc scriptum est.

CHRYSALVS.

„Nunc, pater mi (proin tu ab eo
ut caveas tibi),

„Sycophantias conponit: aurum ut abs te au-
ferat;

„Et profecto se ablaturum dixit.” Plane abscri-
bito.

MNESILOCHVS.

Dic moda.

CHRYSALVS.

„Atque id pollicetur se daturum aurum
mihi,

„Quod dem scortis, quodque in lustris comedim
et congracem, pater. 700

„Sed, pater, vide, ne tibi hodie verba det! quæso,
cave!”

MNESILOCHVS.

Loquere porro.

CHRYSALVS.

Adscribedum etiam.

MNESILOCHVS.

Loquere, quid scribam, modo.

CHRYSALVS.

„Sed pater, quod promisisti mihi, te quæso, ut
memineris:

„Ne illum verberes; verum apud te vinctum ad-
servato domi.”

Cedo tu ceram ac linum actutum. — Age, oblige,
obsigna cito. 705

MNESILOCHVS.

Obsecro, quid istis ad istunc usust conscriptis mo-
dum?

Vt tibi ne quid credat, atque ut vinctum te adser-
vet domi?

CHRYSALVS.

Quia mi ita lubet! Potin', ut cures te atque ne
parcas mihi?

Mea fiducia opus conduxit: meo periculo rem gero!

MNESILOCHVS.

Aequom dicis.

CHRYSALVS.

Cedo tabellas.

MNESILOCHVS.

Accipe.

CHRYSALVS.

Animum advortite, 710

Mnesiloche, et tu, Pistoclere. Iam facite in bi-
clinio

Cum amica sua uterque adcubitum eatis (ita negotium est),
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis
cito.

PISTOCLERVS.

Numquid aliud?

CHRYSALVS.

Hoc; atque etiam, ut, ubi erit adcubitum semel,
Ne quoquam exurgatis, donec a me erit signum
datum. 715

PISTOCLERVS.

O imperatorem probum!

CHRYSALVS.

Iam bis bibisse oportuit.

MNESILOCHVS.

Fugiamus!

CHRYSALVS.

Vos vostrum curate officium; ecfciam
meum. —

Insane magnum molior negotium; i. s.

Metuoque, ut hodie possiem emolirier.

Sed nunc truculento mi atque saevor usus sene
est: 720

Nam non conducit huic sycophantiae,

Senem tranquillum esse. Vbi ubi med adspexerit:

Vorsabo ego illunc hodie, si vivo, probe!

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est
cicer!

Adambulabo ad ostium: ut, quando exeat, 725

Extemplo adveniēti ei tabellas dem in manum.

NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NICOBVLVS.

Nimio illæc res est magnæ dividiæ mihi, i. s. IV, 5
Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum!

CHRYSALVS.

Salvos sum: iratus est senex. Nunc est mihi
Adeundi ad hominem tempus.

NICOBVLVS.

Quis loquitur prope? 730
Atque hic quidem, opinor, Chrysalust.

CHRYSALVS.

Accessero.

NICOBVLVS.

Bone serve, salve. Quid fit? quam mox navigo
In Ephesum: ut aurum repetam ab Theotimo
domum? —

Taces? Per omnis deos adiuro, ni meum
Gnatum tam amem atque ei facta cupiam, quæ
is velit, 735

Vt tua iam virgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino ætatem conteras!
Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.

CHRYSALVS.

Men' crinatus? Optimum est! ego sum malus!
Ego sum sacer, scelestus! Specta rem modo. 740
Ego vero verbum faciam?

NICOBVLVS.

Etiam ne, carnufex,
Minitare?

CHRYSALVS.

Nosces tu illum actutum, qualis sit.
Nunc hasce tabellas ferre me iussit tibi;
Orabat, quae istic essent scripta, ut fierent.

NICOBVLVS.

Cedo.

CHRYSALVS.

Nosce signum.

NICOBVLVS.

Novi. Vbi ipse est?

CHRYSALVS.

Nescio; 745

Nil iam me oportet scire; oblitus sum omnia;
Scio, me esse servom; nescio etiam id, quod
scio. —

Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit!
Pendebit hodie pulcre: ita intendi tenus.

NICOBVLVS.

Manedum parumper: iam exeo ad te, Chry-
sale. 750

CHRYSALVS.

Vt verba dat mi! ut nescio, quam rem gerat!
Servos arcessit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur! pulcre hæc confertur ratis!
Sed contiscam: nam audio aperiri foris.

NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NICOBVLVS.

Constringe tute illi, Artamo, actutum ma-
nus! i. s. IV, 6. 755

CHRY-

CHRYSAIVS.

Quid feci?

NICOBVLVS.

Inpinge pugnum, si muttiverit! —
 Quid hæc loquontur literæ?

CHRYSAIVS.

Quid me rogas?

Vt ab illo accepi, ad te obsignatas attuli.

NICOBVLVS.

Eho tu, loquitatusne es meo gnato male
 Per sermonem e o, quia id mihi aurum reddidit, 760
 Et te dixisti id aurum ablatum tamen
 Per sycophantiam?

CHRYSAIVS.

Egone dixi istuc?

NICOBVLVS.

Ita.

CHRYSAIVS.

Quis homo est, qui dicat, me dixisse istuc?

NICOBVLVS.

Tace;

Nullus homo dicit: hæc tabellæ te arguont,
 Quas tu attulisti. En, hæc te vinciri iubent! 765

CHRYSAIVS.

Ah, Bellerophontem tuos me fecit filius:
 Egomet tabellas tetuli, ut vincirer! — Sine!

NICOBVLVS.

Propterea hoc facio: ut suadeas gnato meo,
 Vt pergræcetur tecum, tervenefice!

CHRYSAIVS.

O stulte, stulte, nescis nunc venire te; 770
 Atque in eo ipso adstas lapide, ut præco prædicat.

NICOBVLVS.

Responde: quis me vendit?

CHRYSALVS.

Quem di diligunt,

Adulescens moritur, dum valet, sentit, sapit.
 Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
 Plus iam viginti, mortuom esse oportuit, 775
 Qui terrai odium inambulat: tam nil sapit,
 Nec sentit. Tanti est, quanti est fungus putidus.

NICOBVLVS.

Tum' terræ me odium esse autumas? Abducite hunc
 Intro atque adstringite ad columnam fortiter!
 Nunquam auferes hinc aurum!

CHRYSALVS.

Atqui iam iam dabis. 780

NICOBVLVS.

Dabo?

CHRYSALVS.

Atque orabis me quidem ultro, ut auferam.
 Quom illunc rescisces, criminatorem meum,
 Quanto in periclo et quanta in pernicie siet:
 Tum libertatem Chrysalo largibere.
 Ego adeo nunquam accipiam.

NICOBVLVS.

Dic, scelerum caput, 785

Dic, quo in periclo est meus Mnesilochus filius?

CHRYSALVS.

Sequere hac me: faxo iam scies.

NICOBVLVS.

Quo gentium?

CHRYSALVS.

Tres unos passus.

NICOBVLVVS.

Vel decem.

CHRYSALVS.

Agedum, tu Artamo,

Forem hanc pauxillum aperi! placide! ne crepa! —

Sat est. Accede huc tu! viden' convivium? 790

NICOBVLVVS.

Video exadvorsum Pistoclerum et Bacchidem.

CHRYSALVS.

Qui sunt in lecto illo altero?

NICOBVLVVS.

Interii miser!

CHRYSALVS.

Novistine hominem?

NICOBVLVVS.

Novi.

CHRYSALVS.

Dic, sodes, mihi:

Bellan' videtur specie mulier?

NICOBVLVVS.

Admodum.

CHRYSALVS.

Quid? illanc meretricemne esse censes?

NICOBVLVVS.

Quippini? 795

CHRYSALVS.

Frustra es.

NICOBVLVVS.

Quis igitur, obsecro, est?

CHRYSALVS.

Inveneris:

Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

CLEOMACHVS. NICOBVLVS. CHRYSALVS.

CLEOMACHVS.

Meamne hic Mnesilochus, Nicobuli filius, i. s. IV, 7
Per vim ut retinet mulierem? quae haec factio est?

NICOBVLVS.

Quis ille est?

CHRYSALVS.

Per tempus hic venit miles mihi. 800

CLEOMACHVS.

Non me arbitratur militem, sed mulierem,
Qui me meosque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam neque Mars cre-
duat,

Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exheredem fecero vitæ suæ! 805

NICOBVLVS.

Chrysale, quis ille est, qui minitatur filio?

CHRYSALVS.

Vir hic est illius mulieris, quicum adcubat.

NICOBVLVS.

Quid? vir?

CHRYSALVS.

Vir, inquam.

NICOBVLVS.

Nupta est illan', obsecro?

CHRYSALVS.

Scies haud multo post.

NICOBVLVS.

Oppido interii miser!

CHRYSAIVS.

Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus? 810

Age nunc, vincito me! auscultato filio!

Dixin' tibi, te inventurum illunc, qualis siet?

NICOBVLVS.

Quid ego nunc faciam?

CHRYSAIVS.

Iube, sis, me exsolvi cito:

Nam nisi ego exsolvor: iam manifesto hominem
opprimet.

CLEOMACHVS.

Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim, 815

Quam illunc cubantem cum illa opprimere: ambo
ut necem.

CHRYSAIVS.

Audin', quae loquitur? Quin tu me exsolvi iubes?

NICOBVLVS.

Exsolvite istum! — Perii, pertimui miser!

CLEOMACHVS.

Tum illanc, quae corpus publicat volgo suom,
Faxo se haud dicat nactam, quem derideat! 820

CHRYSAIVS.

Pacisci cum illa paula pote pecunia.

NICOBVLVS.

Paciscere ergo, te obsecro, quod tibi lubet:

Dum ne manifesto hominem opprimat, neve enicet.

CLEOMACHVS.

Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi:

Iam illorum ego animam amborum exsorbebo op-
pido! 825

NICOBVLVS.

Hem, illuc paciscere, si potes! perge, obsecro!

Paciscere quidvis!

CHRYSALVS.

Ibo et faciam sedulo. —

Quid clamas?

CLEOMACHVS.

Vbi herus tuos est?

CHRYSALVS.

Nusquam; nescio.

Vis tibi ducentos numos iam promittier,

Vt ne clamorem hic facias, neu convicium?... 830

CLEOMACHVS.

Nihil est, quod malim.

CHRYSALVS.

Ac tibi mala ut multa ingeram?

CLEOMACHVS.

Tuo arbitrato.

NICOBVLVS.

Vt subblanditur carnufex!

CHRYSALVS.

Pater hic Mnesilochi est: sequere. Is promittet
tibi;

Tute eum rogato. Ceterum verbum sat est. —

NICOBVLVS.

Quid fit?

CHRYSALVS.

Ducentis Philippis rem pepigi.

NICOBVLVS.

Ah, salus 835

Mea, servavisti me! Quam mox dico: Dabo?

CHRYSALVS.

Roga hunc tu. — Tu promitte huic.

NICOBVLVS.

Promitto: roga.

CLEOMACHVS.

Ducentos numos aureos Philippos probos
Dabin'?

CHRYSALVS.

Dabuntur, inque. Responde.

NICOBVLVS.

Dabo.

CHRYSALVS.

Quid nunc, impure? numquid debetur tibi? 840
Quid illi molestus? quid illum morte territas?
Et ego et te illic mactamus infortunio!
Si tibi machæra est: nobis vernina est domi,
Qua quidem te faciam, si tu me inritaveris,
Confossiolem soricina naenia! 845
Iamdudum hercle equidem sentio, suspicio
Quae te sollicitet: eum esse cum illa muliere.

CLEOMACHVS.

Imo est quoque.

CHRYSALVS.

Ita me Iupiter, Iuno, Ceres,
Minerva, Lato, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Pollucis, Mars, Mercurius, Hercules, 850
Submanus, Sol, Saturnus, dique omnes ament,
Vt ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud, quod dici solet...

NICOBVLVS.

Vt iurat! Servat me ille suis periuriis.

CLEOMACHVS.

Vbi nunc Mnesilochus ergo est?

CHRYSALVS.

Rus misit pater; 855

Illam autem in arcam abiit aedem visere
Minervae. Nunc aperta est: i, vise, estne ibi.

CLEOMACHVS.

Abeo ad fanum igitur.

CHRYSALVS.

Hercle vel in malam crucem!

CLEOMACHVS.

Hodie exigam aurum hoc?

CHRYSALVS.

Exige ac suspende te:

Ne supplicare censeas tibi, nili homo! — 360
Ille est amotus! Sine, me (per te, here, obsecro
Deos immortalis!) ire huc intro ad filium.

NICOBVLVS.

Quid eo introibis?

CHRYSALVS.

Vt eum dictis plurimis

Castigem, quom haec sic facta ad hunc faciat mo-
dum.

NICOBVLVS.

Imo oro, ut facias, Chrysale, et te obsecro, 365
Cave parsis in eum dicere!

CHRYSALVS.

Etiam me mones?

Satin' est, si plura ex me hodie audibit mala,
Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio? —

NICOBVLVS.

Lippi illic oculi servos est simillumus:

Si non est: nolis esse, neque desideres; 370

Si est: abstinere, quin attingas, non queas.

Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret:

Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua,

Atque obtruncaret moechum manifestarium.
 Nunc quasi ducentis Philippis emi filium, 875
 Quos dare promisi militi; quos non dabo
 Temere etiam, priusquam filium convenero.
 Nunquam edepol quidquam temerè credam Chry-
 salo.

Verum lubet mi etiam has perlegere denuo
 Aequom est, tabellis consignatis credere. 880

 CHRYSALVS. NICOBVLVS.

CHRYSALVS.

Atridæ duo fratres cluent fecisse facinus maxu-
 mum, i. t. IV, 8
 Quom Priami patriam Pergamum, divina moeni-
 tum manu,
 Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
 Millenum numero navium, decimo anno post sub-
 egerunt:
 Non pol id est! termentum fuit, praeut herum ex-
 pugnavi meum! 885
 Sine classe, sineque exercitu et sine tanto numero
 militum
 Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab suo
 patre!
 Nunc priusquamde huc senex venit, lubet lamen-
 tari, dum exeat.
 O Troia! o patria! o Pergamus! o Priame, per-
 iisti, senex,

Qui misere male mulcabere quadringentis Philip-
pis aureis! 890

Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas, quas
fero,

Non sunt tabellae, sed equos, quem misere Achi-
vi ligneum;

Epeius Pistoclerust: ab eo haec sumta; Mnesi-
lochus Sinon

Relictus. Ellum non in busto Achillis, sed lecto
ad cubat!

Bacchidem habet secum. Ille olim ut habuit ig-
nem, qui signum daret: 895

Haec ipsum exurit. Ego sum Vlysses, quocius haec
consilio gerunt.

Tum quae sunt scriptae literae, hoc nunc insunt
in equo milites

Armati atque animati probe. Res ita successit mi
usque adhuc.

Atque hic equos non in arcem, verum in arcam,
faciet in petum:

Excidium, exitium, exlecebra fiet equos hic hodie
auro senis. 900

Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio
ego Ilio;

Miles Menelaust; ego Agamemnon, idem Vlysses
Lartius;

Mnesilochus Alexander, qui erit exitium re pa-
triae suae:

Is Helenam abduxit, quonia causa nunc facio ob-
sidium Ilio.

Nam illi itidem audivi Vlysses, ut ego sum, fuis-
se et audacem et malum. 905

Doli ego deprensus; illic mendicans pene inventus
interit,

Dum exquirat sibi fata Iliorum. Adsimiliter mihi
hodie obtigit.

Vinctus sum, sed dolis me exemi; atem se ille servavit
dolis.

Ilio tria fuisse audiui fata, quae ei forent exitio; t. f.

Signum ex arce si perisset; alterum autem est
Troili mors; 910

Tertium, quom portae Scaë limen superum scinderetur.

Paria item tria nunc tribus eis sunt fata nostro
huic Ilio: t. t. e.

Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium
i. t.

Et de hospite et de auro et de lembo: ibi signum
ex arce iam abstuli.

Iam duo restabant fata tum, nec magis id ceperam
oppidum. 915

Post ubi tabellas ad senem tetuli: ibi occidi Troilum.

Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum
militis:

Ibi vix me exsolvi; atque id periculum adsimulo,
Vlysses ut prædicant,

Ab Helena cognitum, esse proditum Hecubæ. Sed
ut olim ille se

Blanditiis ab ea exemit et persuasit, se ut amitteret:
920

Item ego dolis me illo expuli e periculo et decepi
senem.

Postidea cum magnifico milite, urbis qui verbis
capit,

Confixi atque hominem repuli. Dein pugnam
conserui seni;

Eam ego uno adeo mendacio devici, uno ictu ex-
tempulo

Cepi spolia. Is ducentos nunc numos Philippos
militi, 925

Quos dare se promisit, dabit. i. d.

Nunc alteris etiam ducentis usus est, capto Ilio i. t.

Qui dispensentur: ut sit mulsum, qui triumphent
milites.

Sed Priamus hic multo illi præstat. Non quin-
quaginta modo,

Quadringentos filios habet; ac quidem omnis le-
ctos sine probro; 930

Eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis
ictibus.

Nunc Priamo nostro si est quis emtor: coëmptiona-
lem senem.

Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi
oppidum expugnvero.

Sed Priamum adstantem eccum ante portam video:
adibo atque adloquar.

NICOBVLVS.

Guianam vox prope me sonat?

CHRYSALVS.

O Nicobule!

NICOBVLVS.

Quid fit? quid, quod t. t. 935

Te misi? eoquid egisti?

CHRYSALVS.

Rogitas? Congredire.

NICOBVLVS.

Congreditor.

CHRYSALVS.

Optumus orator sum: ad lacrimas castigando ho-
minem coëgi

Maleque dictis, quae quidem quivi conminisci.

NICOBVLVS.

Quid ait?

CHRYSALVS.

Verbum

Nullum fecit; lacrumans tacitus auscultabat, quae
ego loquebar;

Tacitus conscripsit tabellas has, dedit mihi ob-
signatas, 940

Tibi me iussit dare. Sed metuo, ne idem cap-
tent, quod priores.

Nosce signum. Estne eius?

NICOBVLVS.

Novi. Lubet perlegere has.

CHRYSALVS.

Perlege. t. t. c.

Nunc superum limen scinditur! nunc, nunc adest
exitium Ilio! i. t.

Equos lepide turbat ligneus.

NICOBVLVS.

Chrysale, ades, dum ego has perlego.

CHRYSALVS.

Quid me tibi opus est adesse?

NICOBVLVS.

Volo, ut, quod iubeo, fa-
cias: as. ex t. d. et i. d. c. 945

Vt scias, quae hic scripta sint.

CHRYSALVS.

Nil moror, neque volo scire.

NICOBVLVS.

Tamen ades.

CHRYSALVS.

Quid opust est?

NICOBVLVS.

Taceas. Quod iubeo, id facias!

CHRYSALVS.

Adero.

NICOBVLVS.

Euge, literas minutas!

CHRYSALVS.

Qui quidem parum videat; verum

Qui satis videat, grandes satis sunt.

NICOBVLVS.

Nunc animum advortito igitur.

CHRYSALVS.

Nolo, inquam.

NICOBVLVS.

At volo, inquam.

CHRYSALVS.

Quid opus?

NICOBVLVS.

At enim id, quod iubeo, facias! 950

CHRYSALVS.

Iustum est: serviat tibi servos tuos tuo arbitratu.

NICOBVLVS.

Hoc age, sis, iam.

CHRYSALVS.

Vbi lubet, recita: tibi dico aurium
operam.

NICOBVLVS.

Cerae haud parsit, neque stilo; sed, quidquid est,
perlegere certum est.

„Pater, ducentos Philippos, quæso, Chrysalo i. s.
„Da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi.” 955

CHRYSALVS.

Malum quidem hercle magnum, tibi dico!

NICOBVLVS.

Quid est?

CHRYSALVS.

Non prius salutem scripsit?

NICOBVLVS.

Nusquam sentio.

CHRYSALVS.

Inde a principio iam inpuens epistola est!
Non dabis, si sapias; verum si das maxume:
Næ ille alium gerulum quærat, si sapiet, sibi: 960
Nam ego non laturus sum, si iubeas maxume:
Sat sic suspectus sum, quom careo noxia.

NICOBVLVS.

Ausculata porro, dum hoc, quod scriptum est, per-
lego.

„Pudet prodire me ad te in conspectum, pater:
„Tantum flagitium te scire audivi meum, 965
„Quod cum peregrini cubui uxori militis.”

NICOBVLVS.

Pol haud derides: nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.

CHRYSALVS.

Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.

NICOBVLVS.

„Stulte fecisse fateor; sed quæso, pater, 970

„Ne me, in stultitia si deliqui, deseras.
 „Ego animo cupido atque oculis indomitis fui:
 „Persuasum est facere, quoniam me nunc facti pudet.”
 Prius cavisse ergo, quam pudere, æquom fuit.

CHRYSALVS.

Eadem istæc verba dudum illi dixi omnia. 975

NICOBVLVVS.

„Quæso, ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
 „Med obiurgavit plurimis verbis malis,
 „Et me meliorem fecit præceptis suis,
 „Vt ted ei habere gratiam æquom sit bonam.”

CHRYSALVS.

Estne istuc istic scriptum?

NICOBVLVVS.

Hem, specta: tum scies. 980

CHRYSALVS.

Vt, qui deliquit, supplex est ultro omnibus!

NICOBVLVVS.

„Nunc, si me fas est obsecrare abs te, pater,
 „Da mihi ducentos numos Philippos, te obsecro!”

CHRYSALVS.

Ne unum quidem hercle, si sapis.

NICOBVLVVS.

Sine perlegam.

„Ego iusiurandum verbis conceptis dedi: 985
 „Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
 „Priusquam a me abiret: nunc, ne periurem,
 pater,
 „Cura atque abduce me hinc ab hac quantum
 potest,
 „Quam propter tantum damni feci et flagiti.
 „Cave tibi ducenti numi dividiae fuant: 990

„Sex-

„Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.

„Vale atque hæc cura.” Quid nunc censēs, Chry-
sale?

CHRYSALVS.

Nil ego tibi hodie consili quidquam dabo,
Neque ego haud committam, ut, si quid pecca-
tum siet,

Fecisse dicas de mea sententia; 995

Verum ut ego opinor, si ego in istoc sim loco,

Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.

Duæ conditiones sunt; tu utram accipias, vide:

Vel ut aurum perdas, vel ut amator peieret.

Ego nec te iubeo, neque veto, neque suadeo. 1000

NICOBVLVVS.

Miseret me illius.

CHRYSALVS.

Tuos est: non mirum facis.

Si plus perdundum sit: perisse suavius,

Quam illuc flagitium volgo dispalescere.

NICOBVLVVS.

Næ ille edepol Ephesi multo mavellem foret,

Dum salvos esset, quam revenisset domum!— 1005

Quin ego istuc, quod perdundum est, properem
perdere?

Binos ducentos Philippos iam intus efferam,

Et militi quos dudum promisi miser,

Et istos. Mane istic: iam exeo ad te, Chrysale.—

CHRYSALVS.

Fit vasta Troia! scindunt proceres Pergamum! 1010

Scivi ego iamdudum, fore me exitium Pergamo!

Edepol qui me esse dicat cruciatu malo

Dignum, næ ego cum illo pignus haud ausim dare

Tantas turbelas facio. Sed crepuit foris:
Ecfertur præda ex Troia. Taceam nunc iam. 1015

NICOBVLVVS.

Cape hoc tibi aurum, Chrysale! i, fer filio!
Ego ad forum autem hinc ibo: ut solvam militi.

CHRYSALVS.

Non equidem accipiam! proin tu quæras, qui ferat!
Nolo ego, mihi credi.

NICOBVLVVS.

Cape vero! odiose facis.

CHRYSALVS.

Non equidem capiam.

NICOBVLVVS.

At quaeso.

CHRYSALVS.

Dico, ut res se habet. 1020

NICOBVLVVS.

Morare.

CHRYSALVS.

Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me servet.

NICOBVLVVS.

Odiose facis.

CHRYSALVS.

Cedo, si necesse est!

NICOBVLVVS.

Cura hoc! Iam ego reuenero. —

CHRYSALVS.

Curatum est, esse te senem miserrimum.
Hoc est incepta ecficere pulcre, vel mihi ut 1025
Evenit, ut ovans præda onustus cederem!
Salute nostra atque urbe capta per dolum

Domum reducod integrum omnem exercitum.

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,

Quod non triumpho: pervolgatum est: nil mo-
ror; 1030

Verumtamen accipientur mulso milites.

Nunc prædam hanc omnem iam ad quæstorem de-
feram.

PHILOXENVS.

Quam mage pectore in meo foveo, quas meus fi-
lius turbas turbet, t. t. V, 1

Quam se ad vitam et quos ad mores præcipitem
inscitus capessat:

Mage curæ est mageque adformido, ne is pereat
neu corrumpatur; 1035

Nec placitant mores, quibus video volgo gnatis
esse parentes.

Scio: ego fui illa ætate et feci illa omnia; sed
modesto more.

Duxi, habui scortum, potavid, edi, donavi; at
enim id raro.

Ergo dare me ludum meo gnato institivi: ut animo
obsequium

Sumere possiet: puto æquom; sed nimis nolo de-
sidiæ 1040

Ei dari ludum. Nunc ad Mnesilochum, quod man-
davi, viso:

Ecquid ad virtutem eum aut ad frugem opera sua
 compulerit,
 Sicut eum, si convenit, scio fecisse: eo est inge-
 nio natus.

NICOBVLVS. PHILOXENVS.

NICOBVLVS.

Quicumque ubiubi sunt, qui fuerunt, quique sunt fu-
 turi posthac t. t. V, 2
 Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardii, blenni, tum buc-
 cones, 1045
 Solus ego omnis longe antideo stultitia et modis
 indoctis!
 Perii, pudet! hoccin' me ætatis ludum bis factum
 esse indigne!
 Mage quam id reputo: tam magis uror, quae meus
 filius turbavit!
 Perditus atque eradicatus sum etiam! exemplis
 omnibus crucior!
 Omnia me mala consectantur! omnibus exitiis in-
 terii! 1050
 Chrysalus me hodie laceravit, Chrysalus me mi-
 serum spoliavit!
 Is me scelus dolis attondit doctis indoctum usque,
 ut lubitum est:
 Ita miles meretricem memorat esse, quam ille esse
 uxorem aibat;

Omnia, ut quodque actum est, memorat: eam
sibi hunc annum conductam;

Reliquom id auri factum, quod ei homo ego stul-
tissimus promissem. 1055

Hoc, hoc est, hoc, quod peracescit, hoc est demum,
quod percrucior:

Me hoc ætatis ludificarier; imo edepol sic ludos
factum

Cano capite, atque alba barba miserum me auro
esse emunctum!

Perii, hoc servom facere nauci non meum esse
ausum! Atque ego si alibi

Plus perdiderim: minus ægre habeam, minus id
mi esse damno ducam. 1060

PHILOXENVVS.

Certo hic prope me mihi nescio quis loquier vi-
sust. Sed quem video?

Hic quidem Mnesilochi pater.

NICOBVLVVS.

Euge, socium ærumnæ et mali ega video!

Philoxene, salve.

PHILOXENVVS,

Et tu. Vnde agis?

NICOBVLVVS.

Vnde homo miser atque infortunatus.

PHILOXENVVS.

At pol ego ibi sum, miserum ubi hominem decet
esse atque infortunatum.

NICOBVLVVS.

Igitur pare fortuna, ætate uti sumus, utimur.

PHILOXENVVS.

Sic est; sed 1065

Tu, quid tibi?

NICOBVLVVS.

Pol mihi item par est, quod tibi.

PHILOXENVVS.

Numquidnam ad filium ægritudo hæc attinet?

NICOBVLVVS.

Admodum.

PHILOXENVVS.

Idem mi est in pectore morbus.

NICOBVLVVS.

At mihi Chrysalus, optumus homo, disperdit filium, med, ac meam

Rem omnem.

PHILOXENVVS.

Quid tibi ex filio nam est, obsecro, ægre?

NICOBVLVVS.

Scies. Is periit

Cum tuo: ambo æque habent amicas.

PHILOXENVVS.

Qui scis?

NICOBVLVVS.

Vidi.

PHILOXENVVS.

Hei mihi, disperii! 1070

NICOBVLVVS.

Quid dubitamus pultare atque huc evocare ambos foras? t. t. c.

PHILOXENVVS.

Haud moror.

NICOBVLVS.

Heus, Bacchis, iube, sis, actutum aperiri
foris,

Nisi mavis foris et postis conminui securibus!

BACCHIDES SORORES. NICOBVLVS.
PHILOXENVS,

BACCHIS.

Quis sonitu ac tumultu tanto nominat no- b. t. V, 3
mine ac pultat ædis?

NICOBVLVS.

Ego atque hic,

BACCHIS.

Quid hoc est 1075

Negoti? nam, amabo, qui ovis hæc adegit?

NICOBVLVS.

Ovis nos vocant pessumæ.

SOROR.

Pastor harum

Dormit, quom hæc eunt a pecu palitantes,

BACCHIS.

At edepol nitent; sordidæ ambæ haud videntur.

SOROR.

At tonsæ quidem ambæ usque sunt,

PHILOXENVS.

Vt videntur 1080

Deridere nos!

NICOBVLVS.

Sine suo usque arbitrato.

BACCHIS,

Rerin' ter in anno tute has tonsitari?

SOROR.

Pol hodie altera hæc iam bis detonsa certo est.
Vetulæ sunt thymiamae.

BACCHIS.

At bonas fuisse credo.

SOROR,

Viden', limulis, obsecro, ut contuentur? 1085

BACCHIS.

Ecastor sine omni arbitror malitia esse.

PHILOXENVS.

Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.

BACCHIS.

Cogantur quidem intro.

SOROR,

Haud scio, quid eo opus sit:

Nec lactem nec lanam ullam habent. Sic sine
adstent.

Exoluere, quanti fuere; omnis fructus 1090
Iam illis decedit.

BACCHIS.

Non vides, ut palantes

Grassentur?

SOROR.

Quin ætate credo esse mutas:

Ne balant quidem, quom a pecu cetero absunt.

BACCHIS.

Stultae atque hæud malae mihi videntur.

SOROR.

Revorta-

mur intro, soror.

NICOBVLVS.

Eloco ambae manete: # 1095

Oves hae volunt vos. b. d.

BACCHIS.

Prodigium hoc quidem est: humana nos voce ad-
pellant oves. t. t. c.

PHILOXENVS.

Haec oves vobis malam rem magnam, quam de-
bent, dabunt.

BACCHIS.

Si quam debes, te condono; tibi habe: nunquam
abs te petam.Sed quid est, quapropter nobis vos malum mini-
tamini? 1100

PHILOXENVS.

Quia nostros agnos conclusos istic esse aiunt duos.

NICOBVLVS.

Et praeter eos agnos meus est istic clam mordax
canis;Qui nisi nobis producantur iamque emittuntur foras:
Arietes truces nos erimus: tam in vos incursa-
bimus.

BACCHIS.

Soror, est, quod te volo secreto, Eho, amabo!

NICOBVLVS.

Quo illaec abeunt? as. ex t. d. et i. d. c. 1105

BACCHIS.

Senem illunc tibi dedo ulteriorem: lepide ut le-
nitum reddas;Ego ad hunc iratum adgredibor. Possumus hos in-
tro inlicere huc.

SOROR.

Meum lepide adcurabo; quamquam odiosum est,
mortem amplexari.

BACCCHIS.

Facito, ut facias.

SOROR.

Tu tuom facito. Ego, quod dixi, haud
mutabo.

NICOBVLVVS.

Quid illaec illic in consilio secreto duae consul-
tant? 1110

PHILOXENVVS.

Quid ais tu, homo?

NICOBVLVVS.

Quid me vis?

PHILOXENVVS.

Pudet dicere me tibi quiddam...

NICOBVLVVS.

Quid est, quod pudeat?

PHILOXENVVS.

Sed amico homini tibi, quod volo, cre-
dere certum est:

Nihili sum!

NICOBVLVVS.

Istuc scio iampridem. Sed, qui sis nihili,
memora.

PHILOXENVVS.

Tactus sum vehementer visco! cor stimulo fo-
ditur!

NICOBVLVVS.

Edepol

Tibi coxendicem aequius multo est! t. d. 1115

Sed quid istuc est? Etsi iam ego ipse, quid sit,
prope scire puto me; as. ext. d. eti. d. c.
Verum audire etiam ex te studeo.

PHILOXENVS.

Viden' hanc?

NICOBVLVS.

Video.

PHILOXENVS.

Haud mala mulier!

NICOBVLVS.

Pol vero ista mala, et tu nihili.

PHILOXENVS.

Quid multa? amo.

NICOBVLVS.

Amas.

PHILOXENVS.

Ne carpe.

NICOBVLVS.

Tu, homo putide, amator istac fieri ætate audes?

PHILOXENVS.

Qui non?

NICOBVLVS.

Quia flagitium est.

PHILOXENVS.

Quid opus verbis? meo filio haud
sum iratus; 1120

Neque te tuo est æquom esse iratum: si amant,
sapienter faciunt.

BACCHIS.

Sequere hac.

PHILOXENVS.

Eccas tandem!

NICOBVLVVS.

Probri perlecebrae et persuastrices,
Quid nunc? etiam redditis nobis et filios et ser-
vom?

An ego vim tecum maiorem experiar?

PHILOXENVVS.

Abin' hinc? Non tu
Homo quidem es, istoc qui pacto tam lepidam
inlepide adpelles! 1125

BACCHIS.

Optume senex, quantum est in terra, sine hoc ex-
orari abs te: ut
Istuc delictum desistas tanto opere ire oppu-
gnatum.

NICOBVLVVS.

Ni abeas, quamquam tu bella es, mala, malum
tibi dabo iam!

BACCHIS.

Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias.

PHILOXENVVS.

Vt blandiloqua est!

BACCHIS.

Hei, mihi metuo!

SOROR.

Hic mage tranquillust. t. d. 1130

BACCHIS.

I hac mecum intro, atque ibi, si quid vis, conca-
stigato fili- as. ex t. d. et i. d. c.
um.

NICOBVLVVS.

Abin' a me scelus?

BACCHIS.

Sine, mea pietas, te exorem!

NICOBVLVS.

Exores tu me?

SOROR.

Ego quidem ab hoc certe exorabo.

PHILOXENVS.

Imo ego te oro, ut me intro abducas.

SOROR.

Lepidum te!

PHILOXENVS.

At scin', quo me pacto intro abducas?

SOROR.

Mecum uti sis.

PHILOXENVS.

Omnia, quae cupio, commemoras.

NICOBVLVS.

Vidi ego nequam homines; verum 1135
Neminem deteriolem te.

PHILOXENVS.

Ita sum.

t. d.

BACCHIS.

I hac mecum intro, ubi tibi sit lepide victibus vi-
no atque unguentis! as. ex t. d. et i. d. c.

NICOBVLVS.

Satis, satis vestri est convivi! nil poenitet, ut sum
acceptus.Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus cir-
cumduxit,Quem quidem ego ut non excruciem, alterum tan-
tum non meream auri! 1140

BACCHIS.

Quid tandem? si dimidium auri redditur, isne hac
mecum intro at-
que eis delicta ignoscis?

PHILOXENVS.

Faciet.

t. d.

NICOBVLVVS.

Minume! nolo! nil moro! sine sic! malo illos ul-
cisci ambo! as. ex t. d. et i. d. c.

PHILOXENVS.

Etiam tu, homo, quod di dant boni, tua cave
culpa amissis!

Dimidium auri datur: accipias potesque et scor-
tum adcumbas! 1145

NICOBVLVVS.

Ego, ubi filius corrumpatur meus, ibi potem?

PHILOXENVS.

Est potandum!

NICOBVLVVS.

Age, iam id, utut est, etsi dedecorum est, patiar,
facere inducam animum;
Egone, quom haec cum illoc adcumbet, in-
spectem?

BACCHIS.

Imo equidem tecum

Pol adcumbam et te amabo et te amplexabor.

NICOBVLVVS.

Caput prurit! perii!

Vix negito.

BACCHIS.

Non venit in mentem, amabo, si, dum
vivas, 1150

Tibi bene facias, tam pol id quidem haud esse perlonginquom,
Neque, si hoc hodie amissis, post in morte eventurum id unquam?

NICOBVLVVS.

Quid ago?

PHILOXENVVS.

Quid agas, rogitas etiam?

NICOBVLVVS.

Lubet, et metuo.

BACCHIS.

Quid metuis?

NICOBVLVVS.

Filio sim et servo abnoxius.

BACCHIS.

Mel meum, amabo, istæc fiunt.

Tuos est: unde eum sumere censes, nisi quod tute illi dederis? 1155

Hanc veniam illis sine te exorem.

NICOBVLVVS.

Vt terebrat! satin', obfirmatum

Quod mi erat, id me exorat? Tua sum opera et propter te improbior.

BACCHIS.

Nusquam me a te avelles. Satin' ego istuc habeo obfirmatum?

NICOBVLVVS.

Quod semel dixi, haud mutabo.

BACCHIS.

It dies: ite intro adcubitum. Filii intus expectant vos.

NICOBVLVVS.

Quam nos quidem actutum emoriamur? 1160

BACCHIS.

Vesper hic est: sequimini.

PHILOXENVS.

Ducite, quo lubet, tanquam addictos.

BACCHIS.

Lepide ipsi hi sunt capti, filiis qui fecere insidias.

G R E X.

Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adolescentia:

Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis ca-
pitibus;

Neque adeo hæc faceremus, ni antehac vidisse-
mus fieri, 1165

Vt apud lenones rivalet filiis fierent patres.

Spectatores, volumus vos valere et clare adplau-
dere.

C A P T I V I .

1 2 3 4 5 6 7

A R G V M E N T V M.

Captus in pugna Hegionis filius;
Alium quadrimum fugiens servos vendidit.
Pater captivos commercatur Alios,
Tantum eii rei studens, ut natum recuperet;
Et in ibus emit olim amissum filium.
Is suo cum domino veste vorsa ac nomine,
Vt amittatur fecit, ipse plectitur;
Et is reduxit captum et fugitivum simul,
Indicio cuius alium agnoscit filium.

DRAMATIS PERSONAE.

ERGASILVS.
HEGIO.
LORARIVS.
PHILOCRATES.
TYNDARVS.
ARISTOPHONTES.
PVER HEGIONIS.
PHILOPOLEMVS.
STALAGMVS.
GREX.

PROLOGVS.

Hos quos videtis stare hic captivos duos, i, a.
Illi qui non stant, hi stant ambo, non sedent.
Hoc vos mihi testes estis me verum loqui.

Senex qui hic habitat, Hegio, est huius pater,
Sed is quo pacto seruiat suo sibi patri, 5

Id ego hic apud vos proloquar, si operam datis,
Seni huic fuerunt filii nati duo;

Alium quadrimum puerum servos surpuit,
Eumque in Alide hinc profugiens vendidit
Huiusce patri, Iam hoc tenetis? — Optimum
est! — 10

Negat hercle se ille in ultimis, Abscedito!
Si ne, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules;
Quando histrionem cogis mendicariet,
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum.
Vos, qui potestis vostra opi censeriet, 15
Accipite reliquom: alieno uti nil moror,
Fugitivos ille, ut dixeram ante, huius patri,
Domo quem profugiens dominum abstulerat, ven-
didit.

Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo

Peculiarem: quia quasi una ætas erat. 20
 Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater.
 Enimvero di nos quasi pilas homines habent.
 Rationem habetis, quomodo unum amiserit.
 Posteaquam belligerant Aetoli cum Aliis:
 In bello uti fit, capitur alter filius; 25
 Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
 Cœpit captivos conmercari hic Alios:
 Si quem reperire posset, qui mutet suum
 Illunc captivom; hunc suum esse nescit, qui do-
 mi est.
 Et quoniam heri indauidivit, de summo loco 30
 Summoque genere militem captum Alium:
 Nil pretio parsit, filio dum parceret:
 Reconciliare ut facilius posset domum,
 Emit hosce de praeda ambo de quaestoribus.
 Hic autem inter sese hunc confinxerunt dolum, 35
 Quo hinc pacto servos servom herum amittat domum:
 Itaque inter se conmutant vestem et nomina:
 Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus:
 Huius illic, hic illius, fert imaginem.
 Et hic hodie docte expediet hanc fallaciam, 40
 Et herum suum faciet libertatis conpotem,
 Eodemque pacto fratrem servabit suum,
 Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem,
 Inprudens; itidemque ut sæpe in multis locis
 Plus insciens quis fecit, quam prudens, boni: 45
 Sic inscientes sua sibi fallacia
 Ita compararunt et confinxerunt dolum,
 Itaque hi conmenti de sua sententia:
 Vt in servitute hic ad suum maneat patrem.
 Ita nunc ignorans suo sibi servit patri. 50

Homunculi quanti sunt, quom recogito!
 Hæc res agetur nobis, vobis, fabulæ.
 Sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim,
 Profecto expediet, fabulæ huic operam dare:
 Non pertractate facta est, neque item ut ceteræ; 53
 Neque spurcidi insunt versus inmemorabiles;
 Hic neque periurus leno est, nec meretrix mala,
 Neque miles gloriosus. Neu vereamini,
 Quia bellum dixi Aetolis esse cum Aliis:
 Foris illic extra scenam fient proelia: 60
 Nam hoc pene iniquom est Comico choragio,
 De subito conari agere nos tragoediam.
 Proin, si quis pugnam exspectat, litis contrahat:
 Valentiorem nactus advorsarium
 Si erit: ego faciam, ut pugnam inspectet non bo-
 nam: 65
 Adeo ut spectare postea omnis oðerit,
 Abeo. Valet, iudices iustissimi
 Domi, bellique duellatores optumi!

 ERGASILVS.

Iuventus nomen indidit scorto mihi i. s. I, t
 Eo, quia invocatus soleo esse in convivium,
 Scio, absurde dictum hoc derisores dicere;
 At ego aio, recte: nam sibi in convivio
 Amator, talos quom iacit, scortum invocat: 5
 Estne invocatum, annon est? Est planissime.

Verum hercle vero nos parasiti planius,
 Quos nunquam quisquam neque vocat neque in-
 vocat;

Quasi mures semper edimus alienum cibum.
 Vbi res prolatae sunt, quom rus homines eunt: 10
 Simul prolatae res sunt nostris dentibus.

Quasi cum caletur, cochleae in occulto latent,
 Suo sibi succo vivont, ros si non cadit;

Item parasiti rebus prolatis latent
 In occulto, miseri victitant succo suo, 15

Dum ruri rurant homines, quos ligurriant,

Prolatis rebus parasiti invenatici

Sumus; quando rure redierunt, molossici

Odiosicique et multum incommodistici.

Et hic quidem hercle nisi qui colaphos perpeti 20

Potis parasitus, frangique aulas in caput,

Vel extra portam Trigeminam ad Saccum ilicet.

Quod mihi ne eveniat, nonnullum est periculum:

Nam postquam meus rex est potitus hostium

(Ita nunc belligerant Aetoli cum Aliis: 25

Nam Aetolia haec est: illi est captus in Alide

Philopolemus huius Hegionis filius

Senis, qui hic habitat; quae aedes lamentariae

Mihi sunt, quas quotienscunque conspicio, fleo):

Nunc hic ocepit quaestum hunc filii gratia 30

Inhonestum et maxime alienum ingenio suo:

Homines captivos conmercatur, si queat

Aliquem invenire, suom qui mutet filium.

Quod ego quidem nimis quam cupio ut inpetret:

Nam ni illum recipit, nihil est, quo me reci-

piam: 35

Nulla iuventutis spes est: sese omnes amant.

Ille demum antiquis est adulescens moribus,
 Quoius nunquam voltum tranquillavi gratiis.
 Condignis pater eius est moratus moribus:
 Nunc ad eum pergam. Sed aperitur ostium, 40
 Vnde saturitate saepe ego exivi ebrius,

HEGIO. LORARIVS. ERGASILVS.

HEGIO.

Advorte animum, sis, tu. Istos captivos duos, i. s. I, 2
 Heri quos de præda emi de quaestoribus,
 His indito catenas singularias;
 Istas maiores, quibus sunt vincti, demito. 45
 Sinito ambulare, si foris, si intus volent;
 Sed uti adserventur magna diligentia.
 Liber captivos avis ferae consimilis est:
 Semel fugiendi si data est occasio:
 Satis est; postillam nunquam possis prendere. 50

LORARIVS.

Omnes profecto liberi lubentius
 Sumus, quam servimus.

HEGIO.

Non videre ita tu quidem.

LORARIVS.

Si non est, quod dem, mene vis dem ipse in pedes?

HEGIO.

Si dederis: erit extemplo mihi, quod dem tibi.

LORARIVS.

Avis me ferae consimilem faciam, ut praedicas. 55

HEGIO.

Ita ut dicis: nam si faxis, te in caveam dabo.
Sed satis verborum est. Cura, quae iussi, atque
abi.

Ego ibo ad fratrem ad alios captivos meos:
Visam, ne nocte hac quidpiam turbaverint;
Inde me continuo recipiam rursus domum, 60

ERGASILVS.

Aegre est mi, hunc facere quaestum carcerarium
Propter sui gnati miseriam miserum senem;
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest:
Vel carnificinam hunc facere possum perpeti.

HEGIO.

Quis hic loquitur?

ERGASILVS.

Ego, qui tuo moerore maceror, 65
Macesco, consenesco et tabesco, miser.
Ossa atque pellis sum miser macritudine,
Neque unquam quidquam me iuvat, quod edo
domi;
Foris aliquantillum etiam, quod gusto, id beat.

HEGIO.

Ergasile, salve.

ERGASILVS.

Di te bene ament, Hegio. 70

HEGIO.

Ne fle.

ERGASILVS.

Egon' illum non fleam? ego non defleam
Talem adolescentem?

HEGIO.

Semper sensi filio
Meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.

ERGASILVS.

Tum denique omnes nostra intellegimus bona,
 Quom, quae in potestate habuimus, ea amisimus. 75
 Ego, postquam gnatus tuos potitust hostium,
 Expertus, quanti fuerit: nunc desidero.

HEGIO.

Alienus quom eius incommodum tam aegre feras:
 Quid me par facere patrem est, quoi ille est uni-
 cus?

ERGASILVS.

Alienus ego? alienus illi? Ah, Hegio, 80
 Nunquam istuc dixis neque animum induxis tuom!
 Tibi ille unicust; mi etiam unico magis unicus.

HEGIO.

Laudò, malam quom amici tuom ducis malum.
 Nunc habe bonum animum.

ERGASILVS.

Eheu, heu, huic illud dolet,
 Quia nunc remissus est edendi exercitus! 85

HEGIO.

Nullumne interea nactus, qui possit tibi
 Remissum, quem dixti, imperare exercitum?

ERGASILVS.

Quid credis? Fugitant omnes hanc provinciam,
 Quem attigerat, postquam captust Philopolemus
 tuos.

HEGIO.

Non pol mirandum est, fugitare hanc provinciam: 90
 Multis et multigeneribus est opus tibi
 Militibus. Primodum opus est Pistorensibus
 (Eorum sunt aliquot genera Pistorensium);
 Opus Paniceis est; opus Placentinis quoque;

Opus Turdetanis; opus est Ficedulensibus; 95
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

ERGASILVS.

Vt summa saepe ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator nunc privatus est!

HEGIO.

Habe modo bonum animum: nam illum confido
domum

In his diebus me reconciliassere: 100
Nam eccum hic captivom adolescentem Alium,
Prognatum genere summo et summis divitiis:
Hoc illum me mutare confido fore.

ERGASILVS.

Ita di deæque faxint!

HEGIO.

Sed num quo foras

Vocatus es ad coenam?

ERGASILVS.

Nusquam, quod sciam. 105

Sed quid tu id quaeris?

HEGIO.

Quia mi est natalis dies:

Propterea te vocarier ad coenam volo . . .

ERGASILVS.

Facete dictum!

HEGIO.

Sed si pauxillum potes

Contentus esse.

ERGASILVS.

Nae perpauxillum modo:

Nam istoc me adsiduo victu delecto domi. 110
Quasi fundum vendam; meis me addicam legibus.

HEGIO.

Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.

ERGASILVS.

Age, sis.

HEGIO.

Roga.

ERGASILVS.

Emin' tu?

HEGIO.

Nisi qui meliorem adferet,

Quae mi atque amicis placeat conditio magis.

Sed si venturus: tempore.

ERGASILVS.

Malis iam otium est. 115

HEGIO.

I modo, venare leporem; nunc erim tēnes:

Nam meus scruposam victus conmetat viam.

ERGASILVS.

Nunquam istoc vinces me, Hegio: ne postules;

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

HEGIO.

Asper meus victus sane est.

ERGASILVS.

Sentisne esitas? 120

HEGIO.

Terrestris coena est...

ERGASILVS.

Sus terrestris bestia est.)

HEGIO.

Multis oleribus.

ERGASILVS.

Curato aegrotos domi.

Numquid vis?

HEGIO.

Venias tempori.

ERGASILVS.

Memorem mones.

HEGIO.

Ibo intro atque intus subducam ratiunculam,
 Quantillum argenti mi ad trapezitam siet. 125
 Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ihero.

LORARI. PHILOCRATES. TYNDARVS.

LORARIVS.

Di immortales si id voluerunt, vos hanc aerumnam
 exsequi: t. t. c. II, 1

Decet id pati animo aequo. Si id facietis, erit
 levior labos.

Domi fuistis, credo, liberi; herili nunc imperio
 servitus i. t.

Si evenit: ei vos morigerari mos bonust, i. s. 130
 Eamque ingeniis vestris lenem reddere.

Indigna digna habenda sunt, herus quae facit.

PHILOCRATES.

Oh, oh, oh!

LORARIVS.

Eiulatione haud est opus.

Multam oculis multam iniuriarum edicitis.

In re mala animo si bono utare: adiuvat. 135

TYNDARVS.

At nos pudet, quia cum catenatis sumus.

LORARIVS.

At pigeat post herum, si eximat vinculis, c. t.
Quos argento emerit.

TYNDARVS.

Quis metus? Scimus nos,
Nostrum officium quod est, si solutos sinat.

LORARIVS.

At fugam fingitis! sentio, quam rem agis. 140

TYNDARVS.

Nos fugiamus? quo fugiamus?

LORARIVS.

In patriam.

TYNDARVS.

Apage! haud nos id deceat, t. t.
Fugitivos imitari.

LORARIVS.

Imo edepol, si erit occasio, haud dehortor.

TYNDARVS.

Vnum exorare vos sinite nos.

LORARIVS.

Quidnam id est? c. t.

TYNDARVS.

Vt sine hisce arbitris atque vobis locum
Detis nobis loquendi. c. d. h. 145

LORARIVS.

Eiat. Abscedite hinc! nos concedamus huc! c. t.
Sed brevem orationem incipesse! c. tr. h.

TYNDARVS.

Hem, mihi istud certum erat. — Concede huc!

LORARIUS.

Abite ab istis! as. ex t. d. et i. d. c.

PHILOCRATES.

Ambo obnoxii vobis sumus propter hanc rem,
quom, quam

Voluimus nos copiam esse, ea conpotes nos fa-
citis. 150

Secede huc nunc iam, si videtur, procul: c. t.

Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant,

Neve permanet haec nostra fallacia:

Nam doli non doli sunt, nisi astu colas,

Sed malum maximum, si id palam provenit. 155

Nam si herus mi es tu, atque ego me tuom ser-
vom adsimulo: b. t.

Tamen viso opust, cauto opust, sobrie ut hoc et

Adcurate agatur, docte et diligenter:

Tanta inceptu res est. Haud somniculose hoc

Agendum est.

TYNDARVS.

Ero, ut me voles esse.

PHILOCRATES.

Spero. 160

TYNDARVS.

Nam tu nunc vides, pro tuo caro capite,

Carum offerre meum me caput vilitati.

PHILOCRATES.

Scio.

TYNDARVS.

At memento scire, quando id, quod voles, ha-
bebis: i. t. c.

Nam maxuma fere pars hunc homines morem ha-
bent: boni sunt,

Dum

Dum id impetrant, quod sibi volunt; sed id ubi
 habent penes se: 165
 Ex bonis pessimi et fraudulentissimi? c. t.
 Nunc uti te volo mi esse, ita esse autumo.

TYNDARVS.

Quod tibi suadeo, suadeam meo patri.

PHILOCRATES.

Pol' ego te, si audeam, meum patrem nominem:
 Nam secundum patrem tu es pater proximus. 170

TYNDARVS.

Audio:

PHILOCRATES.

Et propterea saepius, uti memineras, te
 moneo: t. t.

Non ego herus tibi, sed servus sum. Nunc obse-
 cro te hoc unum:

Quoniam nobis di immortales animum ostende-
 runt suum, t. t. c.

Vt qui herum me tibi fuisse, atque esse conser-
 vom, velint;

Quae antehac pro iure imperitabam meo, nunc te
 oro per precem, 175

Per fortunam incertam et per mei te erga boni-
 tatem patris,

Perque servitium commune, quod hostica evenit
 manu:

Ne me secus honore honestes, quam quom servi-
 bas mihi;

Atque, qui fueris et qui nunc sis, meminisse ut
 memineras.

TYNDARVS.

Scio quidem, me te esse nunc, et te esse me.

PHILOCRATES.

Hem, istuc si potes 180
Memoriter meminisse: inest spes nobis huic astutiae.

HEGIO. PHILOCRAATES. TYNDARVS.

HEGIO.

Iam ego revortar intro, si ex his, quae volo, ex-
quisivero. t. t. c. II, 2
Vbi sunt isti, quos ante aedis iussi huc produci
foras?

PHILOCRATES.

Edepol tibi ne quaestioni essemus, cautum intel-
lego:

Ita vinclis custodiisque circummoeniti sumus. 185

HEGIO.

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quom etiam
cavet: orq cadere
Etiam quom cavisse ratus est, saepius cautor ca-
ptus est.

An non vero iusta causa est, ut vos servem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?

PHILOCRATES.

Neque pol tibi nos, quia nos servas, aequom est.
vitio vortere; 190
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fiat occasio.

HEGIO.

Vt vos hic, itidem illi apud vos meus servatur
tilius.

PHILOCRATES.

Captus est?

HEGIO.

Ita.

PHILOCRATES.

Non nos igitur soli ignavi fuvimus.

HEGIO.

Secede huc: nam sunt, ex te quae solo scitari volo,
Quarum rerum te falsiloquom mi esse nolo.

PHILOCRATES.

Non ero, 195

Quod sciam; si quid nescibo, id nescium tradam
tibi.

TYNDARVS.

Nunc senex est in tonstrina! Nunc iam hic cultros
attinet!

Ne id quidem, involucrium inficere, voluit: vestem
ut ne inquinet.

Sed utrum strictimne attonsuram dicam esse, an
per pectinem,

Nescio; verum si frugi est, usque admutilabit
probe. 200

HEGIO.

Quid tu? servosne esse an liber mavelis? me-
mora mihi.

PHILOCRATES.

Proximum quod sit bono, quodque a malo lon-
gissime,

Id volo; quamquam non multum fuit molesta ser-
vitus,

Nec mihi secus erat, quam si essem familiaris
filius.

TYNDARVS.

Eugepae, Thalem talento non emam Milesium: 205
Namque is ad sapientiam huius nimius nugator
fuit.

Vt facete orationem ad servitutem contulit!

HEGIO.

Quo de genere natust illic Philocrates?

PHILOCRATES.

Polyplusio,
Quod genus illi est unum pollens atque honora-
tissimum.

HEGIO.

Quid hic ipse? quo honore est illic?

PHILOCRATES.

Summo atque ab summis viris. 210

HEGIO.

Tum igitur, ei quom in aliis tanta gratia est, ut
praedicas,

Quid divitiae? suntne opimae?

PHILOCRATES.

Vnde excoquat sevom senex.

HEGIO.

Quid pater? vivitne?

PHILOCRATES.

Vivom, quom inde abimus, liquimus;
Nunc vivatne, nec ne, id Orcum scire oportet
scilicet.

TYNDARVS.

Salva res est: philosophatur quoque iam; non men-
dax modo est. 215

HEGIO.

Quid erat ei nomen?

PHILOCRATES.

Thesaurochryseonicroesides.

HEGIO.

Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est.

PHILOCRATES.

Imo edepol propter avaritiam ipsius atque tenaciam.

HEGIO.

Quid tu ais? tenaxne pater eius est?

PHILOCRATES.

Imo edepol pertinax.

Quin etiam, ut magis noscas, Genio suo ubi quando sacrificat: 220

Ad rem divinam quibus opus est, Samiis vasis utitur:

Ne ipse Genius subripiat. Proinde, aliis ut credat, vide.

HEGIO.

Sequere hac me igitur: eadem ego ex hoc, quae volo, exquaesivero.

Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit:

Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio: hic fassus mihi. 225

Haec tu si eadem confiteri vis: tuam in rem feceris,

Quae tam scito scire me ex hoc.

TYNDARVS.

Fecit officium hic suum,

Quom tibi est confessus verum; quamquam volui sedulo

Meam nobilitatem occultare et genus et divitias
meas.

Hegio, nunc, quando patriam et libertatem per-
didi, 230

Non ego, istunc me potius quam te metuere, ae-
quom censeo:

Vis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabilis.
Memini, quom dicto haud audebat; facto nunc
laedat licet.

Sed viden'? Fortuna humana fingit artatque, ut
lubet:

Me, qui liber fueram, servom fecit, e summo in-
fimum; 235

Qui imperare insueram, nunc alterius imperio ob-
sequor;

Et quidem si proinde, ut ipse fui imperator fa-
miliae,

Habeam dominum: non verear, ne iniuste aut gra-
viter mi imperet.

Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non vis,
volueram.

HEGIO.

Loquere audacter.

TYNDARVS.

Tam ego fui ante liber, quam gnatus
tuos; 240

Tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit
manus;

Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud
te servio.

Est profecto deus, qui, quae nos gerimus, audit-
que et videt;

Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illi curaverit:

Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit. 245

Quam tu filium tuum, tam me meus pater desiderat.

HEGIO.

Memini ego istaec. Sed faterin' eadem, quae hic fassust mihi?

TYNDARVS.

Ego patri meo esse fateor summas divitias domi, Meque summo genere gnatum; sed te obtestor, Hegio,

Ne tuum animum avariorem faxint divitiae meae: Ne tamenetsi sum unicus, decere videatur magis, Saturnum me servire apud te sumtu et vestitu tuo Potius, quam illi, ubi minime honestum est, mendicantem vivere.

HEGIO.

Ego virtute deum et maiorum nostrum dives sum satis:

Non ego omnino omne lucrum esse utile homini existumo. 255

Scio ego: multos luculentos lucrum iam homines reddidit;

Est, etiam ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum.

Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam.

Nunc animum huc advorte: ut ea, quae sentio, pariter scias.

Filius meus illi apud vos servit captus Alide; 260

Eum mihi si reddis, praeterea unum numum ne
duis:

Et te et hunc amittam hinc. Alio pacto abire non
potes.

TYNDARVS.

Optimum atque aequissimum oras, optimumque
hominum es homo.

Sed privatam is servitutum servit illi, an publicam?

HEGIO.

Privatam is medici Menarchi.

PHILOCRATES.

Pol hic huius quidem est cliens. 265

Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est,
quando pluit.

HEGIO.

Facis, homo ut redimatur?

TYNDARVS.

Faciam; sed te id oro, o Hegio...

HEGIO.

Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.

TYNDARVS.

Auscultadum: scies.

Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non
postulo;

Verum te quaeso, aestumatum hunc mi ut des,
quem mittam ad patrem: 270

Vt is homo redimatur illi.

HEGIO.

Imo alium potius misero

Hinc, ubi erunt induciae, illuc, tuom qui conve-
niat patrem:

Qui tua, quae tu iusseris, mandata, ita, ut vis,
perferat.

TYNDARVS.

At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam
luseris;

Hunc mitte: hic transactum reddet omne, si illuc
venerit; 275

Nec fidelio rem quemquam, nec quoi plus credat,
potes

Mittere ad eum, nec qui magis sit servos ex sen-
tentia,

Neque adeo, quoi tuom concedat filium hodie
audacius.

Ne vereare: meo periculo huius ego experiar vi-
cem,

Ingenio eius fretus: quod meo erga se scit bene-
volum. 280

HEGIO.

Mittam equidem istunc aestumatum tua fide, si vis.

TYNDARVS.

Volo;

Quam citissime potest, tam hoc cedere ad fa-
ctum volo.

HEGIO.

Num quae causa est, quin, si ille huc non redeat,
viginti minas

Mihi des pro illoc?

TYNDARVS.

Optuma imo.

HEGIO.

Solvite istum nunc iam,

Atque utrumque.

TYNDARVS.

Di tibi omnes omnia optata adferant, 285
 Quom me tanto honore honestas, quomque ex
 vinclis eximis!
 Hoc quidem haud molestum est, iam quod collus
 collari caret.

HEGIO.

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grvida
 est bonis.

Nunc tu, illunc si illo es missurus, die, demonstra,
 praecipe,

Quae ad patrem vis nuntiari. Vin' vocem huc ad te?

TYNDARVS.

Volo. 290

HEGIO. PHILOCRATES. TYNDARVS.

HEGIO.

Quae res bene vortat mihi meoque filio i. s. II, 3
 Vobisque! Volt te novos herus operam dare
 Tuo veteri domino, quod velit, fideliter.
 Nam ego te huic dedi aestumatum viginti minis;
 Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem; 295
 Meum ut illi redimat filium: mutatio
 Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.

PHILOCRATES.

Vtroquevorsum rectum est ingenium meum,
 Ad ted atque illum; pro rota me uti licet:
 Vel ego huc vel illuc vortar, quor imperabitis. 300

HEGIO.

Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum,
 Quom servitutum ita fers, ut ferri decet.
 Sequere. — Hem tibi hominem!

TYNDARVS.

Gratias habeo tibi,
 Quom copiam istam mi et potestatem facis,
 Vt ego ad parentes hinc remittam nuntium, 305
 Qui me, quid rerum hic agitem et quid fieri velim,
 Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
 Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
 Vt te aestumatum in Alidem mittam ad patrem:
 Si non rebitas huc, ut viginti minas 310
 Dem pro te.

PHILOCRATES.

Recte convenisse sentio:

Nam pater expectat aut me, aut aliquem nuntium,
 Qui hinc ad se veniat.

TYNDARVS.

Ergo animum advortas volo,
 Quae nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.

PHILOCRATES.

Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam se-
 dulo, t. t. c. 315
 Vt potissimum, quod in rem recte conducatur tuam,
 Id petam idque persequar corde atque animo at-
 que viribus.

TYNDARVS.

Facis ita, ut te facere oportet. Nunc animum ad-
 vortas volo.

Omnium primum salutem dicito matri et patri
 Et cognatis, et si quem alium benevolentem vi-
 deris: 320

Me hic valere et servitutum servire huic homini
optumo,

Qui me honore honestiorem semper fecit et facit...

PHILOCRATES.

Istuc ne praecipias: facile memoria memini tamen.

TYNDARVS.

Nam quidem, nisi quod custodem habeo, liberum
me esse arbitror.

Dicito patri, quo pacto cum hoc mihi conve-
nerit 325

De huius filio ...

PHILOCRATES.

Quae memini, mora mera est monerier.

TYNDARVS.

Vt eum redimat et remittat nostrum huc amborum
vicem.

PHILOCRATES.

Meminero.

HEGIO.

At quamprimum poterit, in rem utrique
est maxime.

PHILOCRATES.

Non tuom tu mage videre, quam ille suom gna-
tum cupit.

HEGIO.

Meus mihi, suos quoique est carus.

PHILOCRATES.

Numquid aliud vis patri 330

Nuntiari?

TYNDARVS.

Me hic valere; et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili;

Neque te conmeruisse culpam, neque me advor-
satum tibi;

Beneque hero gessisse morem in tantis aerumnis
tamen;

Neque med unquam deseruisse te neque factis ne-
que fide 335

Rebus in dubiis, egenis. Haec pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suum gnatum
atque se:

Nunquam erit tam avarus, quin te gratiis mittat
manu.

Et mea opera, si hinc rebito, faciam, ut faciat fa-
cilius:

Nam tua opera et comitate et virtute et sapien-
tia 340

Fecisti, ut redire liceat ad parentes denuo;

Quom apud hunc confessus es et genus et divi-
tias meas:

Quo pacto emisisti e vinclis tuom herum tua sa-
pientia.

PHILOCRATES.

Feci ego ita, ut commemoras, et te meminisse id,
gratum est mihi.

Merito illa et tibi evenerunt a me: nam nunc, Phi-
locrates, 345

Si ego item memorem, quae me erga multa fe-
cisti bene,

Nox diem adimat: nam ut si servos mi esses, ni-
hilo secius

Obsequiosus mihi fuisti semper.

HECIO.
Di, vostram fidem,

Ingenium hominum liberale! ut lacrimas excutiant
mihi!

Videas, corde amare inter se: quantis suorum he-
rum laudibus 350

Servos conlaudavit.

PHILOCRATES.

Pol med istis haud centesimam
Partem laudat, quam ipse meritis ut laudetur lau-
dibus.

HEGIO.

Ergo quom optime fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare: ut erga hunc rem geras fide-
liter.

PHILOCRATES.

Mage non factum velle possum, quam opera ex-
periar persequi. 355
Id ut scias: Iovem supremum testem do et laudo,
Hegio,

Me infidelem non futurum Philocrati...

HEGIO.

Probus es homo.

PHILOCRATES.

Nec me secus unquam ei facturum quidquam, quam
memet mihi.

TYNDARVS.

Istaec dicta te experiri et operis et factis volo;
Et quod minus dixi, quam volui, de te, animum
advortas volo, 366

Atque horum verborum causa cave tu mi iratus
fwas;

Sed, te quaeso, cogitato, hinc mea fide mitti do-
mum

Te aestumatum, et meam esse vitam hic pro te
positam pignori:

Ne tu me ignores, quom extemplo mi e con-
spectu abscesseris,

Quom me servom in servitute pro ted hic reli-
queris; 365

Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras,
Neque des operam, pro me ut huius reducem fa-
cias filium.

Scito, te minis viginti hinc aestumatum mittier!

Fac fidelis sis fideli! cave fidem fluxam geras!

Nam pater, scio, faciet, quae illum facere oportet,
omnia. 370

Serva in perpetuom tibi amicum me, atque hunc
inventum inveni!

Haec per dexteram tuam, te dextera retinens
manu,

Obsecro: infidelior mihi ne fuas, quam ego sum
tibi!

Tu hoc age! tu mihi nunc herus es, tu patronus
tu pater:

Tibi commendo spes opesque meas.

PHILOCRATES.

Mandavistin? satis? 375

Satin' habes, mandata quae sunt, facta si refero?

TYNDARVS.

Satis.

PHILOCRATES.

Et tua et tua huc ornatus reveniam ex sententia.

Numquid aliud?

TYNDARVS.

Vt, quamprimum possis, redeas.

PHILOCRATES.

Res monet.

HEGIO,

Sequere me: viaticum ut duim a trapezita
tibi.

Eadem opera a praetore sumam syngraphum.

TYNDARVS.

Quem syngraphum? 380

HEGIO.

Quem hic ferat secum ad legionem: hinc ire uti
liceat domum. —

Tu intro abi.

TYNDARVS.

Bene ambulato.

PHILOCRATES.

Bene vale.

HEGIO.

Edepol rem meam
Constabilivi, quom illos emi de praeda a quae-
storibus!

Expedivi ex servitute filium, si dis placet.

At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non
emerem, diu. 385

Servate istum, sultis, intus, servi: ne quoquam pe-
dem

Ecferat sine custodela. Mox adparebo domi:

Ad fratrem ego modo captivos alios inviso meos;

Eadem percontabor, ecquis adolescentem noverit.

Sequere tu: te ut amittam, ei re primum prae-
vorti volo. 390

ERGASILVS.

Miser homo est, qui ipse sibi, quod edit, quaerit
 et id ægre invenit; t. t. c. III, 1
 Sed ille est miserior, qui et ægre quaerit et nihil
 invenit;

Ille miserum est, qui quom cupit esse, quod edit,
 non habet.

Nam hercle ego huic die, si liceat, oculos ecfo-
 diam lubens:

Ita malignitate oneravit omnis mortalis mihi; 395

Neque ieiuniosiore, nec magis ecfertum fame,

Vidi, nec qui minus procedat, qui quid facere oc-
 ceperis:

Ita venter gutturque resident esuriales ferias.

Illicet parasiticae arti maxumam in malam cru-
 cem:

Ita iuventus iam ridiculos inopes ab se segregat.

Nil morantur iam Laconas imi subelli viros.

Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu et pe-
 cunia;

Eos, requirunt, qui, lubenter, quom, ederint, red-
 dant domi.

Ipsi obsonant, quae parasitorum ante erat pro-
 vincia;

Ipsi de foro tam aperte capite ad lenones eunt, 405

Quam in tribu sontis aperto capite condemnant
 reos;

Neque ridiculos iam teranci faciunt; sese omnes
 amant.

Nam ut dudum hinc abivi: accessi ad adulescentes
in foro;

Salvete, inquam. Quo imus nam, inquam, ad pran-
dium? — Atque illi tacent. —

Quis ait „Huc,” aut quis profitetur? inquam. —
Quasi muti silent, 410

Neque me rident. Vbi coenamur? inquam. Atque
illic abnuont.

Dico unum ridiculum dictum dictis de melioribus,
Quibus solebam menstrualis epulas ante apiscier.

Nemo ridet. Scivi ex templo, rem de compacto
geri.

Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imi-
tari, 415

Saltem, si non ad riderent, dentis ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video, me sic ludificari;
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios.

Vna res;

Omnes compacto rem agunt, quasi in velabro ole-
arii.

Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludifica-
ri. 420

Item alii parasi frustra obambulabant in foro.

Nunc barbarica lege certum est ius meum omne
persequi:

Concilium qui iniere, qui nos victa et vita pro-
hibeant,

His diem dicam: inrogabo multam, ut mihi coe-
nas decem

Meo arbitrato dent, quom cara annona sit. Sic
egero. 425

Nunc ibo ad portum hinc: est mi illic una spes
 coenatica;
 Si ea decolabit: redibo huc ad senem ad coenam
 asperam.

H E G I O.

Quid est suavius, quam bene rem gerere bono publi-
 co, sicut ego feci heri, quom emi hosce
 homines? b. o. III, 2
 Vbi quisque vident, obviam eunt gratulanturque
 eam rem; ita me miserum restando
 retinendo-
 que lassum reddiderunt. Vix ex gratulando miser
 iam eminebam; tandem abii ad prae-
 torem; 430
 Ibi vix requievi; b. d.
 Rogo syngraphum; datur; eloco do Tyndaro; ille
 abiit domum. i. t.
 Postquam id actum: ad fratrem eo protinus, mei
 ubi sunt alii captivi; t. t.
 Rogo, Philocratemne ex Alide ecquis omnium no-
 verit? t. t. c.
 Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem; di-
 co eum esse i. t. c. 435
 Apud me; hic extemplo orat obsecratque, sibi
 uti liceat
 Videre eum; iussi eloco hunc exsolvi. Nunc tu
 sequere:

Vt, quod me oravisti, inpetres, eum hominem uti
convenias.

T Y N D A R V S.

Nunc illud est, quom me fuisse, quam esse, nimio
mavelim! i. t. III, 3

Nunc spes opes auxiliaque a me segregant sper-
nuntque se! 440

Hic ille est dies, quom nulla vitae meae salus spe-
rabilist,

Neque exitium exitio est, neque adeo spes, quae
mi aspellat metum!

Nec sycophantiis, nec fucis, ullum mantellum ob-
viam est;

Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis
fuga est;

Nec confidentiae usquam hospitium est, nec de-
verticulum dolis! 445

Operta quae fuere, aperta sunt! patent praestigiae!

Omnis res palam est, neque de hac re negotium
est pol, quin ma- as. ex t. d. et i. d. c.

le occidam oppetamque pestem iam heri vicem
meamque!

Perdidit me Aristophontes hic, qui modo intro
venit:

Is me novit; is sodalis est Philocrati et cogna-
tus; 450

Neque iam Salus servare, si volt, me potest, nec
copia est, i. t.

Nisi si aliquam corde machinor astutiam. i. s.
 Quamquam, malum, quid machiner? quid conmi-
 niscar? i. tr. h.
 Maximas nugae ineptiasque incepisse! Hae-
 reo. — t. t. c.

HEGIO, TYNDARVS. ARISTOPHON-
 TES, LORARIVS.

HEGIO.

Quo illum nunc hominem proripuisse foras se di-
 cam ex aedibus? i. t. III, 4. 455

TYNDARVS.

Nunc enimvero occidi! eunt ad te hostes, Tyn-
 dare! i. s.

Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo, aut
 quid fatebor? t. t.

Res mi omnis in incerto sita est! quid rebus con-
 fidam meis? i. t.

Vtinam te di prius perderent, quam periisti e pa-
 tria tua,

Aristophontes, qui ex parata rem inparatam om-
 nem facis! 460

Occisa est haec res, nisi reperio atrocem mi ali-
 quam astutiam.

HEGIO.

Sequere. Hem tibi hominem! adi atque adloquere.

TYNDARVS.

Quis homo est me hominum miserior?

ARISTOPHONTES.

Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare ocu-
 los, Tyndare, t. t. c.
 Proque ignoto me adspernari, quasi me nunquam
 noveris?

Equidem tam sum servos, quam tu, etsi ego domi
 liber fui, 465

Tu usque a puero servitutem servivisti in Alide.

HEGIO.

Edepol miror minime, is si te fugitat aut oculos
 tuos,

Aut si te odit, qui istum adpelles Tyndarum pro
 Philocrate.

TYNDARVS.

Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide:

Ne tu, istic quod fabuletur, auris inmittas
 tuas: 470

Nam istic hastis insectatus est domi matrem et
 patrem,

Et illic isti, qui insputatur, morbus interdum venit.
 Proin' tu ab istoc procul recedas!

HEGIO.

Vltro istum a me!

TYNDARVS.

Ain', verbero,

Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum
 memoras patrem,

Et eum morbum mi esse, ut qui med opus sit in-
 sputarier? 475

HEGIO.

Ne verere: multos iste morbus homines macerat,
 Quibus insputari saluti fuit atque iis profuit.

ARISTOPHONTES.

Quid tu autem? etiam huic credis?

HEGIO.

Quid ego credam huic?

ARISTOPHONTES.

Insanum esse me.

TYNDARVS.

Viden' tu hunc, quam inimico voltu intuitur? Con-
cedi optimum est,

Hegio: fit, quod tibi dixi: gliscit rabies: cave tibi! 480

HEGIO.

Credidi, esse insanum, extemplo, ubi te adpellavit
Tyndarum.

TYNDARVS.

Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque
scit, qui siet.

HEGIO.

Nam etiam te suum sodalem esse aibat.

TYNDARVS.

Haud vidi magis!

Et quidem Alcmaeus atque Orestes et Lycurgus
postea

Vna mi opera sunt sodales, qua iste.

ARISTOPHONTES.

At etiam, furcifer, 485

Male mihi loqui audes? non te ego novi?

HEGIO.

Pol planum id quidem est,
Non novisse, qui istum adpelles Tyndarum pro
Philocrate.Quem vides, ignoras; illum nominas, quem non
vides.

ARISTOPHONTES.

Imo iste eum sese ait, qui non est, esse; et, qui
vero est, negat.

TYNDARVS.

Tu enim repertus, Philocratem qui superes veri-
verbio! 490

ARISTOPHONTES.

Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitu-
dine

Qui convincas! Sed, quaeso hercle, agedum, ad-
spice ad me!

TYNDARVS.

Hem!

ARISTOPHONTES.

Dic modo:
Tyndarum esse negas?

TYNDARVS.

Nego, inquam.

ARISTOPHONTES.

Tun' te Philocratem esse ais?

TYNDARVS.

Ego me, inquam.

ARISTOPHONTES.

Tunc huic credis?

HEGIO.

Plus quidem, quam tibi aut mihi:
Nam ille quidem, quem tu esse hunc memoras,
hodie hinc abiit Alidem 495
Ad patrem huius.

ARISTOPHONTES.

Quem patrem, qui servos est?

TYNDARVS.

Et tu quidem
 Servos, et liber fuisti; et ego me confido fore,
 Si huius huc reconciliasso in libertatem filium.

ARISTOPHONTES.

Quid ais, furcifer? tun' gnatum tete memoras
 liberum?

TYNDARVS.

Non equidem me Liberum, sed Philocratem, esse
 aio quidem. 500

ARISTOPHONTES.

Vt scelestus, Hegio, nunc iste te ludos facit!
 Nam is est servos ipse, neque praeter eum quis-
 quam eii fuit.

TYNDARVS.

Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas,
 domi est:

Omnis inveniri similis tibi vis. Non mirum facis:
 Miserorum est, ut malevolentes sint atque invi-
 deant bonis. 505

ARISTOPHONTES.

Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas
 credere!

Atque, ut perspicio, profecto iam aliquid pugnae
 dedit:

Filium tuom quod se redimere ait, id ne utiquam
 mihi placet.

TYNDARVS.

Scio, te id nolle fieri; efficiam tamen ego id, si
 di adjuvant:

Illum restituam huc, hinc autem in Alidem me
 meo patri. 510

Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum.

ARISTOPHONTES.

Quin tute is es,
Neque praeter te in Alide ullus servos istoc no-
mine est!

TYNDARVS.

Pergin', servom me exprobrare esse, id, quod vi
hostili obtigit?

ARISTOPHONTES.

Enim iam nequeo contineri!

TYNDARVS.

Heus tu, audin', quid ait? quin fugis?
Iam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc
iubes 515

Conprehendi.

ARISTOPHONTES.

Crucior!

TYNDARVS.

Ardent oculi: fune opus, Hegio!
Viden' tu, illi maculari corpus totum maculis lu-
ridis?

Atra bilis agitat hominem!

ARISTOPHONTES.

At pol te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti in-
luceat!

TYNDARVS.

Iam deliramenta loquitur: larüae stimulant vi-
rum. 520

HEGIO.

Hercle quid, si hunc comprehendi iusserim?

TYNDARVS.

Sapias magis.

ARISTOPHONTES.

Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis con-
cinnat suis!

TYNDARVS.

Audin', lapidem quaeritare?

ARISTOPHONTES.

Solus te solum volo,
Hegio.

HEGIO.

Istinc loquere, si quid vis: procul tamen
audiam. 525

TYNDARVS.

Namque edepol si ad bites propius: os denasabit
tibi

Mordicus.

ARISTOPHONTES.

Neque pol med insanum, Hegio, esse
creduis,

Neque fuisse unquam, neque esse morbum, quem
istic autumat;

Verum si quid metuis a me, iube me vinciri.
Volo,

Dum istic itidem vinciat.

TYNDARVS.

Imo enimvero, Hegio, 530
Istic, qui volt, vinciat.

ARISTOPHONTES.

Tace modo! ego te, Philocrates
False, faciam, ut verus hodie reperiare Tyn-
darus!

Quid mi abnutas?

TYNDARVS.

Tibi ego abnuto? — Quid agis? Absis
longius!

HEGIO.

Quid ais? quid, si adeam hunc insanum?

TYNDARVS.

Nugas ludificabitur;
Garriet, quoi neque pes unquam neque caput con-
pareat. 535
Armenta adsient: Aiacem, hunc quom vides, ipsum
vides.

HEGIO.

Nihili facio; tamen adibo.

TYNDARVS.

Nunc ego omnino occidi!
Nunc inter sacrum saxumque sto, nec, quid fa-
ciam, scio!

HEGIO.

Do tibi operam, Aristophontes, si quid est, quod
me velis.

ARISTOPHONTES.

Ex me audibis vera, quae nunc falsa opinare,
Hegio. 540

Sed primum hoc me expurgare tibi volo, me in-
saniam

Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, ni-
si quod servio.

At ita me rex deorum atque hominum faxit pa-
triae conpotem, ut

Istic Philocrates non magis est, quam aut ego,
aut tu.

HEGIO.

Eho, dic mihi:

Quis igitur illic est?

ARISTOPHONTES.

Quem dudum dixi a principio tibi. 545

Hoc si secus reperies: nullam causam dico, quin

mihi

Et parentum et libertatis apud te deliquio siet.

HEGIO.

Quid tu ais?

TYNDARVS.

Me tuum esse servom et te meum herum.

HEGIO.

Haud istuc rogo.

Fuistin' liber?

TYNDARVS.

Fui.

ARISTOPHONTES.

Enimvero non fuit; nugas agit.

TYNDARVS.

Qui tu scis? an tu fortasse fuisti meae matri ob-

stetrix,

550

Qui id tam audacter dicere audes?

ARISTOPHONTES.

Puerum te vidi puer.

TYNDARVS.

At ego tete video maior maiorem. Hem rursum

tibi!

Meam rem ne cures, si recte facias. Num ego

curo tuam?

HEGIO.

Fuyitne huic pater Thesaurochryseonicroesides?

ARISTOPHONTES.

Non fuit, neque ego istuc nomen unquam audiui
ante hunc diem; 555
Philocrati Theodoromedes fuit pater.

TYNDARVS.

Pereo probe!
Quin quiescis? I diirectum, cor meum, ac suspen-
de te!
Tu subsultas; ego miser vix adsto prae formidine.

HEGIO.

Satin' istuc mihi exquisitum est, fuisse hunc ser-
vom in Alide,
Neque esse hunc Philocratem?

ARISTOPHONTES.

Tam satis, quam nunquam hoc
inuenies secus. 560
Sed ubi is nunc est?

HEGIO.

Vbi ego minime, atque ipse
se volt maxime.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus, sum miser
Huius scelesti technis, qui me, ut lubitum est, du-
ctavit dolis!
Sed vide, sis!

ARISTOPHONTES.

Quin exploratum dico et provisum hoc tibi.

HEGIO.

Certon'?

ARISTOPHONTES.

Quin nihil, inquam, inuenies magis hoc
certo certius. 565
Philocrates iam inde usque amicus fuit mihi a pue-
ro puer.

HEGIO.

Sed qua facie est tuos sodalis Philocrates?

ARISTOPHONTES.

Dicam tibi:

Macilento ore, naso acuto, corpore albo, oculis
nigris,

Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

HEGIO.

Convenit.

TYNDARVS.

Vt quidem hercle in medium ego hodie pessume
processerim. 570

Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo mori-
entur meo!

HEGIO.

Verba mihi data esse video.

TYNDARVS.

Quid cessatis, conpedes,
Currere ad me, meaque amplecti crura: ut vos
custodiam?

HEGIO.

Satin' med illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servom se adsimulabat, hic sese autem li-
berum. 575

Nuculeum amisi; reliquit pignori putamina:
Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevare ob-
fucis.

Hic quidem me nunquam inridebit. Colaphe, Cor-
dalio, Corax,

Ite istinc! ecferte lora!

LORARIVS.

Num lignatum mittimur?

HEGIO. TYNDARVS. ARISTOPHON-
TES.

HEGIO.
Iniicite actutum manicas huic mastigiae! i. s. III, 5.580

TYNDARVS.
Quid hoc est negoti? quidnam ego deliqui?

HEGIO.

|Rogas,
Sator sartorque scelerum, et messor maxume?

TYNDARVS.
Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant rustici, quam sarrunt,
Prius.

HEGIO.
At ut confidenter mihi contra adstitit! 585

TYNDARVS.
Decet innocentem servolum atque innoxium
Confidentem esse suum apud herum potissimum.

HEGIO.
Adstringite isti, sultis, vehementer manus!

TYNDARVS.
Tuos sum: tu quidem has vel praecidi iube!
Sed quid hoc negoti est, quamobrem suscenses
mihi? 590

HEGIO.
Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallaciis
Delaceravisti, deartuavistique opes.
Confecisti omnis res ac rationes meas:
Ita mi exemisti Philocratem fallaciis. 595

Illum

Illum esse servom credidi, te liberum:
Ita vosmet aiebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis.

TYNDARVS.

Fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, et fallaciis
Abiisse eum abs te mea opera atque astutia. 600
An, obsecro hercle te, id nunc suscenses mihi?

HEGIO.

At cum cruciatu maximo id factum est tuo.

TYNDARVS.

Dum ne ob malefacta peream, parvi existumo.
Si ego hic peribo, atque ille, ut dixit, non redit:
At erit mi hoc factum mortuo memorabile, 605
Meum herum me captum ex servitute atque ho-
stibus

Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,
Meumque potius me caput periculo
Praeptavisse, quam is periret, ponere.

HEGIO.

Facito ergo, ut Acherunti clueas gloria! 610

TYNDARVS.

Qui per virtutem perbitat, non interit.

HEGIO.

Quando ego te exemplis excruciasso pessumis,
Atque ob sutelas tuas te morti misero:
Vel te interisse, vel perisse praedicent!
Dum pereas: nihil interduo, dicant vivere! 615

TYNDARVS.

Pol si istuc faxis: haud sine poena feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido adfore!

ARISTOPHONTES.

Proh di immortales, nunc ego teneo, nunc scio, hoc
 Quid sit negoti: meus sodalis Philocrates
 In libertate est ad patrem in patria. Bene est, 620
 Neque est mihi quisquam, aequè melius quoi ve-
 lim!

Sed hoc mihi aegre est, me huic dedisse operam
 malam,

Qui nunc propter me meaque verba vinctus est.

HEGIO.

Vetuin', te quidquam mi hodie falsum proloqui?

TYNDARVS.

Vetuisti.

HEGIO.

Cur es ausus mentiri mihi?

625

TYNDARVS.

Quia vera obsessent illi, quoi operam dabam;
 Nunc falsa prosunt.

HEGIO.

At tibi oberunt.

TYNDARVS.

Optimum est!

At herum servavi, quem servatum gaudeo,
 Quoi custodem addiderat me herus maior meus.
 Sed malene id arbitrare factum?

HEGIO.

Pessime.

630

TYNDARVS.

At ego aio Recte, qui abs te seorsum sentio:
 Nam cogitato: si quis hoc gnato tuo
 Tuos servos faxit, qualem haberes gratiam?
 Emitteresne, necne, eum servom manu?

CAPTIVI. 387

Essetne apud te is servos acceptissimus? 635
Responde.

HEGIO.

Opinor.

TYNDARVS.

Cur ergo iratus mihi es?

HEGIO.

Quia illi fuisti, quam mihi, fidelior.

TYNDARVS.

Haud esse repentinas amicitias decet.
Quid? tu una nocte postulavisti et die
Recens captum hominem et nuperum et novi-
tium 640

Te perdocere, ut melius consulerem tibi,
Quam illi, quicum una a puero aetatem exegeram?

HEGIO.

Ergo ab eo petito gratiam istam! — Ducite,
Vbi ponderosas crassas capiat conpedes!
Inde ibis porro in latomias lapidarias. 645
Ibi quom octonos lapides alii excoderint,
Nisi cotidiano sesquiopus confeceris:
Sexcentoplago nomen indetur tibi!

ARISTOPHONTES.

Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis!

HEGIO.

Curabitur: 650

Nam noctu nervo vinctus custodibitur;
Interdiu sub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo; non uno absolvam die.

ARISTOPHONTES.

Certumne tibi istuc?

HEGIO.

Non moriri certiust.

Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum: 655

Iubete huic crassas conpedes inpignier!

Inde extra portam ad meum libertum Cordalum

In lapicidinas facite deductus siet;

Atque hunc ita velle dicite me curarier,

Ne quid deterius huic sit, quam quoi pessume
est. 660

TYNDARVS.

Cur ego te invito salvom me esse postulem?

Periclum vitae meae tuo stat periculo.

Post mortem in morte nihil est, quod metuam,
mali;

Et si pervivo usque ad summam aetatem: tamen

Breve spatium est perferundi, quae minitas mihi. 675

Vale atque salve; etsi, aliter ut dicam, meres.

Tu, Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale:

Nam mihi propter te hoc obtigit.

ARISTOPHONTES.

Oh!

HEGIO.

Abducite!

TYNDARVS.

At

Vnum hoc te quaeso, si huc rebitet Philocrates,

Vt mi eius facias conveniundi copiam. 680

HEGIO.

Peristis, nisi iam hunc e conspectu abducitis!

TYNDARVS.

Vis haec quidem hercle est, et trahi et trudi simul.

Illuc est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
 Ego illis captivis aliis documentum dabo,
 Ne tale quisquam facinus incipere audeat: 683
 Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam,
 Usque obfrenatum suis me ductarent dolis.
 Nunc certum est nulli post haec quidquam cre-
 dere:
 Satis sum semel deceptus. Speravi miser,
 Ex servitute me exemisse filium: 690
 Ea spes elapsa est. Perdidit unum filium
 Puerum quadrimum, quem mihi servos surpuit:
 Neque eum servom unquam reperi, neque filium;
 Maior potitus hostium est. Quod hoc est scelus?
 Quasi in orbitatem liberos produxerim! 695
 Sequere haec: reducam te, ubi fuisti. Neminis
 Misereri coram est, quia mei miseret neminem!

ARISTOPHONTES.

Exauspicavi ex vinculis; nunc intellego
 Redauspicandum esse in catenas denuo.

TRAGEDIAE

TRAGEDIAE

TRAGEDIAE REGASILV S.

Iupiter supreme, servas me measque auges
 Maximas opimitates opiparasque offers mihi:
 Laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitatem, fe-
 rias,
 Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium;

Sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissumam;
 Nec quoiquam homini supplicare me nunc est cer-
 tum mihi: 705

Nam vel prodesse amico possum, vel inimicum per-
 dere: i. t.

Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit
 dies!

Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem,
 quoi boni

Tantum adfero, quantum ipse a dis optat, atque
 etiam amplius.

Nunc certa res est: eodem pacto, ut Comici ser-
 vi solent, 710

Coniciam in collum pallium: primo ex me hanc
 rem ut audiat;

Speroque, me ob nuncium hunc aeternum adep-
 turum cibum!

HEGIO. ERGASILVS.

HEGIO.

Quanto in pectore hanc meo magis rem vo-
 luto, b. t. IV, 2

Tanto mi aegritudo auctior est in animo,

Ad illunc modum sublitum os esse mi hodie; 715

Neque perspicere quivi. b. d.

Quod quom scibitur, inridebor per urbem; b. t.

Quom extemplo ad forum advenero, omnes lo-
 quentur:

Hic ille est senex doctus, quoi verba data sunt!
Sed Ergasilus estne hic, procul quem ego vi-
deo? 720

Confecto quidem est pallio. Quidnam acturust?

ERGASILVS.

Moue abs te moras, atque, Ergasilus, age hanc
rem!

Eminor interminorque, ne qui obstiterit mi ob-
viam, t. t. c.

Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur:

Nam qui obstiterit, ore sistet!

HEGIO.

Hic homo pugilatum incipit, 725

ERGASILVS.

Facere certum est! Proinde ut omnes itinera in-
sistant sua,

Nec quis in hanc plateam negoti conferat quid-
quam sui:

Nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta est
mihi,

Humerus arles; tum genu ut quemque icero: ad
terram dabo;

Dentilegos omnis mortalis faciam, quemque ob-
fendero! 730

HEGIO.

Quae illaec eminatio est? nam nequeq mirari satis.

ERGASILVS.

Qui mi obstiterit, faxo vitae is extemplo obstite-
rit suae!

Faciam, ut huius die locique meique semper me-
minerit!

HEGIO.

Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis?

ERGASILVS.

Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suam: 735

Continete vos domi! prohibete a vobis vim meam!

HEGIO.

Mira edepol sunt, ni hic in ventrem sumsit confidentiam.

Vae misero illi, cuius cibo iste factus est impensior!

ERGASILVS.

Tum pistores scrophipasci, fuffuri qui alunt sues, Quorum odore praeterire nemo pistrinum potest, 740

Eorum si quousquam scropham in publico conspexero:

Ipsis ex dominis meis pugnis exculcabo fuffures!

HEGIO.

Basilicas edictiones atque imperiosas habet: Satur homo est; habet profecto in ventre confidentiam.

ERGASILVS.

Tum piscatores, qui praebent populo piscis foetidos, 745

Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio, Quorum odos subbasilicanos omnis abigit in forum:

Eis ego ora verberabo sirpiclis piscariis:

Vt sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.

Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas ovis, 750

Qui locant caedundos agnos, et duplo agninam
danant,

Qui petroni nomen induunt verveci sectario,
Eum ego si in via petronem publica conspexero:
Et petronem et dominum reddam mortalis mi-
serrumos.

HEGIO.

Euge, edictiones aedilitias hic habet quidem; 755
Mirumque adeo est, ni sibi fecere hunc Aetoli
agoranomum.

ERGASILVS.

Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex re-
galior:

Tantus ventri conmeatus meo adest in portu
cibus.

Sed ego cesso hunc Hegionem onerare laetitia se-
nem,

Qui homine hominum adaeque nemo vivit for-
tunatior? 760

HEGIO.

Quae illaec est laetitia, quam illic laetus largitur
mihî?

ERGASILVS.

Heus, ubi estis? ecquis hic est? ecquis hoc ape-
rit ostium?

HEGIO.

Hic homo ad coenam recipit se ad med.

ERGASILVS.

Aperite hasce ambas foris,
Priusquam pultando assulatim foribus exitium ad-
fero!

HEGIO.

Hunc conloqui hominem perlubet. Ergasile!

ERGASILVS.

Ergasilum qui vocat? i. t. 765

HEGIO.

Respice.

ERGASILVS.

Fortuna quod tibi neque facit, nec faciet,
med i. t. c.

Hoc iubes? Sed quis es?

HEGIO.

Respice ad me: Hegio c. t.

Sum.

ERGASILVS.

O mihi, quantum est hominum optumorum
optume,

Temperid advenis! c. d.

HEGIO.

Nescio quem ad portum nactus es, ubi coenes: eo
fastidis. t. t. 770

ERGASILVS.

Cedo manum!

HEGIO.

Manum?

ERGASILVS.

Manum, inquam, cedo tuam actutum!

HEGIO.

Tene. t. t. c.

ERGASILVS.

Gaude!

HEGIO.

Quid ego gaudeam?

ERGASILVS.

Quia ego impero. Age, gaude modo!

HEGIO.

Pol moerores mi antevortunt gaudiis.

ERGASILVS.

Nolo ita siet!

Iam ego ex corpore exigam omnis maculas moerorum tibi!

Gaude audacter!

HEGIO.

Gaudeo, etsi nil scio, quod gaudeam. 775

ERGASILVS.

Bene facis. Iube...

HEGIO.

Quid iubeam nam?

ERGASILVS.

Ignem ingentem fieri.

HEGIO.

Ignem ingentem?

ERGASILVS.

Ita dico: magnus ut sit.

HEGIO.

Quid, vulturie? me

Tuan' causa aedis incensurum censes?

ERGASILVS.

Noli irascier.

Iuben', an non iubes, aulas adstitui, patinas elui,
Laridum atque epulas foveri foviculis ferventi-
bus,

780

Alium piscis praestinatam abire...

HEGIO.

Hic vigilans somniat.

ERGASILVS.

Aliam porcina[m] atque agnina[m] et pullos galli-
naceos

HEGIO.

Scis bene esse, si sit, unde.

ERGASILVS.

Pernas atque ophthalmias,
Horaeum et scombrum et trugonem et cetum et
mollem caseum?

HEGIO.

Nominandi istorum tibi erit imago quam edundi
copia 785

Hic apud me, Ergasile.

ERGASILVS.

Mean' me causa hoc censes dicere?

HEGIO.

Nec nil hodie hic, nec multo plus tu edes (ne
frustra sies):

Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me ad-
feras.

ERGASILVS.

Quin ita faciam, ut tute cupias facere sumtum, etsi
ego vetem.

HEGIO.

Egone?

ERGASILVS.

Tute.

HEGIO.

Tum tu mi igitur herus es.

ERGASILVS.

Imo bene volens. 790

Vin' te faciam fortunatum?

HEGIO.

Malim, quam miserum quidem.

ERGASILVS.

Qedo manum!

HEGIO.

Hem manum!

ERGASILVS.

Di te omnes adiuvant!

HEGIO.

Nil sentio.

ERGASILVS.

Non enim es in seniceto: eo non sentis. Sed

iube.

Vasa tibi pura adpararier ad rem divinam cito,

Atque agnam adferri propere unum pinguem.

HEGIO.

Cur?

ERGASILVS.

Vt sacrifices. 795

HEGIO.

Quoi deorum?

ERGASILVS.

Mi hercle: nam ego nunc tibi sum sum-
mus Iupiter;

Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gau-
dium.

Proin tu divom hunc saturitate facias tranquillum
tibi.

HEGIO.

Esurire mihi videre.

ERGASILVS.

Mihi equidem esurio, non tibi.

HEGIO.

Tuo arbitrato; facile patior.

ERGASILVS.

Credo: consuetus puer. 800

HEGIO.

Iupiter te dique perdant!

ERGASILVS.

Te hercle mi aequom est gratias

Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto a por-
tu tibi boni.

Nunc tu mihi places!

HEGIO.

Abi, stultus: sero post tempus venis.

ERGASILVS.

Igitur olim si advenissem: mage tu tum istuc di-
ceres;

Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero! nam
filium 805

Tuom modo in portu Philopolemum vivom sal-
vom et sospitem

Vidi in publica celoce, ibidemque illum adoles-
centulum

Alium una, et tuom Stalagmum servom, qui au-
fugit domo,

Qui tibi subripuit quadrimum puerum filiolum tuom.

HEGIO.

Abi in malam rem! ludis me!

ERGASILVS.

Ita me amabit sancta Saturitas, 810

Hegio, itaque suo me semper condecoret cogno-
mine,

Vt ego vidi...

HEGIO.

Meumne gnatum?

ERGASILVS.

Tuom gnatum et genium meum.

HEGIO.

Et captivom illum Alidensem?

ERGASILVS.

Μὰ τὸν Ἀπόλλω!

HEGIO.

Et servolum

Meum Stalagmum, meum qui gnatum surpuit..

ERGASILVS.

Νὴ τὰν Κόρα!

HEGIO.

Iam diu?

ERGASILVS.

Νὴ τὰν Πραυίσην!

HEGIO.

Venit?!

ERGASILVS.

Νὴ τὰν Σιγίαν! 815

HEGIO.

Certon'?

ERGASILVS.

Νὴ τὰν Φρασιῶνα.

HEGIO.

Vide, sis

ERGASILVS.

Νὴ τὰλάτρειον!

HEGIO.

Quid tu per barbaricas urbis iuras?

ERGASILVS.

Quia enim item asperae,
Vt tuom victum autumabas esse.

HEGIO.

Vae aetati tuae!

ERGASILVS.

Quippe quando mihi nil credis, quod ego dico
sedulo.

Sed Stalagnus quoniam erat tunc nationis, quom
hinc abit? 820

HEGIO.

Siculus.

ERGASILVS.

At nunc Siculus non est: Boius est; bo-
iam terit:

Liberorum quaerundorum causa ei, credo, uxor
data est.

HEGIO.

Dic: bonan' fide tu mi istaec verba dixisti?

ERGASILVS.

Bona.

HEGIO.

Di immortales, iterum gnatus videor, si vera au-
tumas?

ERGASILVS.

An tu dubium habebis, etiam sancte quom ego
iurem tibi? 825

Postremo, Hegio, si parva iuriurando est fides:
Vise ad portum.

HE-

HEGIO.

Facere certum est. Tu intus cura, quod
opust!

Sume, posce, prome quidvis! te facio cellarium.

ERGASILVS.

Nam hercle, nisi si manticulatus probe ero, fu-
sti pectito!

HEGIO.

Aeternum tibi dapinato victum, si vera autu-
mas! 830

ERGASILVS.

Vnde id?

HEGIO.

A me meoque gnato.

ERGASILVS.

Sponden' tu istuc?

HEGIO.

Spondeo.

ERGASILVS.

At ego, tuom tibi advenisse filium, respondeo.

HEGIO.

Cura, quam optume potes!

ERGASILVS.

Bene ambula et redambula!

Ille hinc abiit; mihi rem summam credidit ci-
bariam.

Di immortales, ut ego collos iam praetruncabo
tergoribus! t. t. 835

Quanta pernisi pestis veniet! quanta labes larido! t. t. c.

Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas!

Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!

Nam alia si memorem, quae ad ventris victum
 conducunt: mora est.
 Nunc ibo ad meam praefecturam: ius ut dicam
 larido, 840
 Et, quae pendent indemnatae, pernis auxilium ut
 feram.

PVER HEGIONIS.

Diespiter te dique, Ergasile, perdant et ventrem
 tuom, i. t. V, 1
 Parasitosque omnis, et qui posthac coenam para-
 sitis dabit!
 Clades calamitasque intemperiesque in nostram
 advenit domum,
 Quasi lupus esuriens, modo: metuvi, ne in me fa-
 ceret inpetum; 845
 Nimisque hercle ego illum male formidabam: ita
 frendebat dentibus.
 Adveniens deturbavit totum cum carni carna-
 rium;
 Arripuit gladium, praetruncavit tribus tergoribus
 glandia;
 Aulas calicesque omnis confregit, nisi quae mo-
 diales erant;
 Cocum percontabat, possentne seriae fervere; 850
 Cellas refregit omnis intus, reclusitque armarium.
 Adservate istunc, sultis, servi! ego ibo, ut conve-
 niam senem:

Dicam, aliud ut penum sibi adornet, siquidem
sese uti volet:

Nam in hoc, ut hic quidem adornat, aut iam ni-
hil est, aut iam nihil erit.

HEGIO. PHILOPOLEMVS. PHILO-
CRATES. STALAGMVS.

HEGIO.

Iovi disque ago gratias merito magnas, b. t. V. 2. 855
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miseris plurimis me exemerunt,
Quas, dum te carens hic fui, sustentabam;
Quomque hunc hic conspicio in potestate nostra;
Quomque huius reperta est fides firma nobis! 860

PHILOPOLEMVS.

Satis iam dolui ex animo, et cura satis me et
Lacrumis maceravi hoc; satis tuas iam audiui
Aerumnas, ad portum mihi quas memorasti.
Hoc agamus!

PHILOCRATES.

Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem, t. t. c.
Tibique hunc reducem in libertatem feci?

HEGIO.

Fecisti, ut tibi, 865

Philocrates, nunquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritus de me et filio es!

PHILOPOLEMVS.

Imo potes,

Pater, et poteris, et ego potero, et di eam pote-
statem dabunt,
Vt beneficium benemerenti nostro merito muneres,
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito ma-
xume. 870

HEGIO.

Quid opus verbis? lingua nulla est, qua negem,
quidquid roges.

PHILOCRATES.

Postulo abs te, ut mi illunc reddas servom, quem
hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quam sibi, sem-
per fuit:
Pro benefactis eius benefactis pretium ut pos-
sim reddere.

HEGIO.

Quod benefecisti, referetur gratia: id, quod po-
stulas, 875
Et id et aliud, quod me orabis, impetrabis; at-
que te
Nolim susceusere, quod ego iratus ei feci male.

PHILOCRATES.

Quid fecisti?

HEGIO.

In lapicidinas conpeditum condidi,
Vbi rescivi, mihi data esse verba.

PHILOCRATES.

Vae misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse
optumo! 880

HEGIO.

At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne
duis:

Gratis a me, ut sit liber, abduc!

PHILOCRATES.

Edepol, Hægio,
Facis benigne! Sed quaeso, hominem ut inbeas ar-
cessi,

HEGIO.

Licet.

Vhi vos estis? Ite actutum: Tyndarum huc ar-
cessite.

Vos ite intro. Interibi ego ex hac statua verberea
volo

885

Erogitare, meo minore quid sit factum filio.

Vos lavate interibi.

PHILOPOLEMVS.

Sequere hac, Philocrates, me intro.

PHILOCRATES.

Sequor.

HEGIO.

Age, tu illic procede, bone vir, lepidum mancu-
pium meum!

STALAGMVS.

Quid me facere oportet, ubi tu, talis vir, falsum
autumas?

Fui ego bellus, lepidus, bonus vir, nunquam, neque
frugi bonae,

890

Neque ero unquam: ne in spe tu ponas [me bo-
nae frugi fore].

HEGIO.

Propemodum, ubi loci fortunæ tuæ sint, facile
intellegis: t. t. c.

Recte et vere loquere! Sed neque vere tu, neque
 recte, adhuc
 Fecisti unquam.

STALAGMVS.

Quod ego fatear, credin' pudeat, quom
 autumes?

HEGIO.

At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te to-
 tum dabo! 895

STALAGMVS.

Heia, credo ego, inperito plagas minitaris mihi!
 Tandem ista aufer, dicque, quid fers: ut feras hinc,
 quod petis.

HEGIO.

Satis facundus! sed iam fieri dicta compendi volo.

STALAGMVS.

Vbi vis: fiat.

HEGIO.

Bene morigerus fuisti puer; nunc non
 decet.

Hoc agamus! Iam animum advorte ac mihi, quae
 dicam, edissere. 900
 Verax si eris: tuam rem facies ex mala melius-
 culam.

STALAGMVS.

Nugae istaec sunt: non me censes scire, quid di-
 gnus siem?

HEGIO.

At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.

STALAGMVS.

Pauca ecfugiam, scio: nam multa evenient, et me-
 rito meo,

Qui et fugi, et tibi subripui filium, et eum vendidi.

905

HEGIO.

Quoi homini?

STALAGMVS.

Theodoromedi in Alide Polyplusio

Sex minis.

HEGIO.

Proh di immortales, is quidem est huius pater Philocratis!

STALAGMVS.

Quin melius novi, quam tu, et vidi saepius.

HEGIO.

Serva, Iupiter supreme, et me et meum gnatum mihi!

Philocrates, per tuum te genium ego obsecro, exi!
te volo! gra

PHILOCRATES. HEGIO. STALAGMVS.

PHILOCRATES.

Hegio, adsum: si quid me vis, impera.

HEGIO.

Hic gnatum meum t. t. c. V, 3

Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.

PHILOCRATES.

Quam diu id factum est?

STALAGMVS.

Hic annus incipit vicesimus.

PHILOCRATES.

Falsa memorat.

STALAGMVS.

Aut ego, aut tu: nam tibi quadrimulum
Tuos pater peculiarem parvolum puero dedit. 915

PHILOCRATES.

Quod erat ei nomen, si vera dicis, memoradum
mihi.

STALAGMVS.

Paegnium vocitatust; post vos indidistis Tyndaro.

PHILOCRATES.

Cur ego te non novi?

STALAGMVS.

Quia mos oblivisci est hominibus,
Neque novisse, quocius nihili sit faciunda gratia.

PHILOCRATES.

Dic mihi: isne istic fuit, quem vendidisti meo
patri, 920

Qui mihi peculiaris datus est, huius filius?

HEGIO.

Vivitne is homo?

STALAGMVS.

Argentum accepi; nil curavi ceterum.

HEGIO.

Quid tu ais?

PHILOCRATES.

Quin istic ipsust Tyndarus tuos filius,
Vt quidem argumenta hic loquitur: nam is mecum
a puero puer

Bene pudiceque educatust usque ad adulescen-
tiam. 925

HEGIO.

Et miser sum et fortunatus, si vos vera dicitis:
 Eo miser sum, quia male ille feci, si gnatus meust.
 Eheu, quom ego plus minusve feci, quamde ae-
 quom fuit!

Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri
 possiet.

Sed eccum incedit huc, ornatus haud ex suis vir-
 tutibus! 930

TYNDARVS. HEGIO. PHILOCRATES.
 STALAGMVS.

TYNDARVS.

Vidi ego multa saepe picta, quae Acherunti fie-
 rent, t. t. c. V, 4

Cruciamenta; verum enimvero nulla adaeque est
 Acheruns,

Atque ubi ego fui in lapicidinis. Illi demum est
 locus, ubi

Lassitudo omnis labore est exigunda ex corpore.

Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut mo-
 nedulae, 935

Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusi-
 tent:

Itidem haec mi advenienti upupa, qui me dele-
 ctem, data est...

Sed herus eccum ante ostium, et herus alter eccum
 ex Alide

Rediit!

HEGIO.

Salveto, exoptate gnate mi!

TYNDARVS.

Hem, quid? „Gnate mi?“

Attat, scio, cur patrem adsimules ted esse, et me
filium: 940

Quia mi, item ut parentes, lucis das tuendae co-
piam.

PHILOCRATES.

Salve, Tyndare!

TYNDARVS.

Et tu, quoniam causa hanc aerumnam exigo!

PHILOCRATES.

At nunc liber in divitias faxo venies: nam tibi
Pater hic est; hic servos, qui te huic hinc quadri-
mum surpuit,

Vendiditque patri meo te sex minis; is te mihi 945
Parvolum peculiarem parvulo puero dedit.

Ille indicium fecit: nam hunc ex Alide huc redu-
cimus.

TYNDARVS.

Quid? me huius filium?

PHILOCRATES.

Intus eccum fratrem germanum tuom!

TYNDARVS.

Quid ais tute? adduxtin' illunc huius captivom
filium?

PHILOCRATES.

Quin, inquam, intus hic est.

TYNDARVS.

Fecisti edepol et recte et bene! 950

PHILOCRATES,

Nunc tibi pater hic est; hic fur est tuos, qui par-
vom hinc te abstulit.

TYNDARVS.

At ego hunc grandis grandem natu ob furtum ad
carnificem dabo.

PHILOCRATES.

Meritus est.

TYNDARVS.

Ergo edepol merito meritam merce-
dem dabo.

Sed dic, oro te: pater meus tunc es?

HEGIO.

Ego sum, gnate mi.

TYNDARVS.

Edepol demum in memoriam nunc regredior, quom
cogito, 955

Quasi per nebulam, Hegionem patrem meum
vocarier.

HEGIO.

Is ego sum.

PHILOCRATES.

Conpedibus quaeso ut levior tibi sit
filius,

Atque hic gravior servos.

HEGIO.

Certum est, principium id praevortier.
Eamus intro: ut arcessatur faber: ut istas conpedes
Tibi adimam, huic dem.

STALAGMVS.

Quoi peculi nihil est, recte feceris. 960



C A T E R V A.

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula
est: t. t. c.

Neque in hac subagitationes sunt, neque ulla amatio;
Non suppositi pueri; non argenti circumductio;
Neque, ubi amans adulescens scortum liberet clam
suom patrem.

Huiusmodi paucas poëtae reperiunt comoedias, 965
Vbi boni meliores fiant. Nunc vos, si vobis placet,
Et si placuimus, neque odio fuimus: signum hoc
mittite!

Qui pudicitiae esse voltis praemium, plausum date!

C A S I N A .

C A I S A O

A R G V M E N T V M.

Conservam conservi duos uxorem expetunt;
Alium senex adlegat, alium filius.
Senem adjuvat sors; verum decipitur dolis:
Ita ei subicitur pro puella servolus
Nequam, qui dominum mulcat atque villicum.
Adolescens ducit Casinam civem cognitam.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.
CHALINVS.
OLYMPIO.
CLEOSTRATA.
PARDALISCA.
MYRRHINA.
STALINO.
ALCESIMVS.
COCVS.
ANCILLAE.
GREX.

PRO-

P R O L O G V S.

Salvere iubeo spectatores optimos, i. i. s.
Fidem qui facitis maxumid, et vos Fides.
Si verum dixi, signum clarum date mihi:
Ut vos mi esse aequos iam inde a principio sciam.
Qui utantur vino vetere, sapientis puto, 5
Et qui lubenter veteres spectant fabulas.
Antiqua opera et verba quom vobis placent,
Aequom placere est autem veteres fabulas:
Nam nunc novae quae prodeunt comoediae
Multo sunt nequiores, quam numi novi. 10
Nos postquam populi rumore intelleximus,
Studiose expetere vos Plautinas fabulas:
Antiquam eius edimus comoediam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus:
Nam iuniorum qui sunt, non norunt, scio; 15
Verum ut cognoscant, dabimus operam sedulo.
Haec quom primum acta est, vicit omnis fabulas.
Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum;
Sed tamen absentes prosunt hic praesentibus. 20

Vos omnis opere magno esse oratum volo,
 Benigne ut operam detis ad nostrum gregem.
 Eiicite ex animo curam atque alienum aes!
 Ne quis formidet flagitatorem suum!
 Ludi sunt: ludus datus est argentariis; 25
 Tranquillum est; Alcedonia sunt circa forum;
 Ratione utuntur ludis, poscunt neminem;
 Secundum ludos reddunt autem nemini.
 Aures vacivae si sunt, animum advortite:
 Comoediai nomen dare vobis volo. 30
 Clerumene vocatur haec comoedia
 Graece, Latine Sortientes; Diphilus
 Graece hanc, postidea scripsit rursum denuo
 Latine Plautus cum latranti nomine.
 Senex hic maritus habitat; eii est filius; 35
 Is cum patre una in illisce habitat aedibus.
 Est eii quidam servos, qui in morbo cubat
 (Imo hercle vero in lecto, ne quid mentiar);
 Is servos (sed abhinc annos factum est sedecim)
 Quom conspicatust primulo crepusculo 40
 Puellam exponi: adit extemplo ad mulierem.
 Quae illam exponebat; orat, ut eam det sibi;
 Exorat; aufert; detulit recta domum;
 Dat herae suae; orat, ut eam curet, educet.
 Hera fecit: educavit magna industria, 45
 Quasi si esset ex se nata, non multo secus.
 Postquam haec adolevit ad eam aetatem, uti viris
 Placere posset: atque puellam eam hic senex
 Amare ecflictim et itidem contra filius.
 Sibi nunc uterque contra legiones parat, 50
 Paterque filiusque, clam alter alterum.
 Pater adlegavit villicum, qui istam sibi

Vxorem poscat: sperat, si ei data sit, fore
 Sibi paratas, clam uxorem, excubias foris;
 Filius armigerum autem adlegavit suum, 55
 Qui sibi eam uxorem poscat: scit, si id inpetret,
 Futurum, quod amat, intra praesepis suas.
 Senis uxor sensit, operam virum amanti dare:
 Propterea una consulit cum filio.
 Ille autem postquam filium sensit suum 60
 Eandem illam amare et impedimento sibi
 Esse: adulescentem hinc peregre ablegavit pater.
 Sciens eius mater dat operam absenti tamen.
 Is, ne expectetis, hodie in hac comoedia,
 In urbem non redibit: Plautus noluit: 65
 Pontem interruptit, qui erat eii in itinere.
 Sunt hic, quos credo nunc inter se dicere:
 Quaeso hercle, quid istuc est? serviles nuptiae?
 Servine uxorem ducent aut poscent sibi?
 Novom attulerunt, quod fit nusquam gentium. 70
 At ego aio hoc fieri in Graecia et in Carthagini
 Et hic in nostra terra et in Apulia;
 Maioreque opera ibi serviles nuptiae
 Quam liberales etiam curari solent.
 Id ni sit, mecum pignus, si quis volt, dato 75
 In urnam mulsi, Poenus dum iudex siet,
 Vel Graecus adeo, vel mea causa Apulus.
 Quid nunc? nil agitis? Sentio: nemo sitit.
 Revortar ad puellam illam exposititiam,
 Quam servi summa vi sibi uxorem expetunt. 80
 Ea invenietur et pudica et libera
 Ingenua Atheniensis, neque quidquam stupri
 Faciet profecto in hac quidem comoedia;
 Mox hercle vero post, transacta fabula,

Argentum si quis dederit: ut ego suspicor, 85
 Vltro ibit nuptum, non manebit auspices.
 Tantum est. Valete, bene rem gerite et vincite
 Virtute vera, quod fecistis antidhac!

OLYMPIO. CHALINVS.

OLYMPIO.

Non mihi licere meam me rem solum, ut
 volo, i. s. l, l

Loqui atque cogitare sine ted arbitro?
 Quid tu, malum, me sequere?

CHALINVS.

Quia certum est mihi,
 Quasi umbra, quoquod ibis tu, te persequi.
 Quin edepol, etiamsi in crucem vis pergere: 5
 Sequi decretum est. Dehinc coniiicito ceterum,
 Possisne, necne, clam me sutelis tuis
 Praeripere Casinam uxorem, proinde ut postulas.

OLYMPIO.

Quid tibi negoti' mecum est?

CHALINVS.

Quid ais, inpudens?
 Quid in urbe restas, villice haud magni preti? 10

OLYMPIO.

Lubet.

CHALINVS.

Quin ruri es in praefectura tua?
 Quin potius, quod legatum est tibi negotium,

Id curas atque urbanis rebus te abstines?
 Huc venistine sponsam praereptum meam?
 Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam! 15

OLYMPIO.

Chaline, non sum oblitus officium meum:
 Praefeci, ruri recte qui curet tamen.
 Ego, huc quod veni in urbem, si inpetravero,
 Vxorem ut istanc ducam, quam tu deperis,
 Bellam et tenellam Casinam, conservam tuam, 20
 Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero:
 Rure incubabo usque in praefectura mea.

CHALINVS.

Tun' illam ducas? Hercle me suspendio,
 Quam tu eius potior fias, satiust mortuom.

OLYMPIO.

Mea praeda est illa: proin tu te in laqueum in-
 duas! 25

CHALINVS.

Ex sterculino ecfosse, tua illaec praeda sit?

OLYMPIO.

Scies, hoc ita esse.

CHALINVS.

Vae tibi!

OLYMPIO.

Quot te modis,

Si vivo, habebo in nuptiis miserum meis?

CHALINVS.

Quid tu mihi facies?

OLYMPIO.

Egone quid faciam tibi?

Primum omnium huic lucebis novae nuptae fa-
 cem: 30

Postilla ut semper — inprobis nihilique sis.
 Post id locorum quando ad villam adveneris:
 Dabitur tibi amphora una et una semita,
 Fons unus, unum ahenum et octo dolia,
 Quae nisi erunt semper plena, ego te inplebo
 flagris! 35

Ita te adgerunda curvom aqua faciam, inprobe,
 Vt postilena possit ex te fieri!
 Post autem, ruri aut ervom nisi tute ederis,
 Aut, quasi lumbricus, terram: quod te postules
 Gustare quidquam: nunquam edepol Ieiunium 40
 Aequae ieiunum est atque ego reddibo te.
 Post id quom lassus fueris et famelicus:
 Noctu ut condigne te cubes, curabitur.

CHALINVS.

Quid facies?

OLYMPIO.

Concludere in festrā firmiter,
 Vnde auscultare possis, quom ego illam osculer. 45
 Quom mi illa dicet: Animule mi, mi Olympio,
 Mea vita, mea mellilla, mea festivitas,
 Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea!
 Sine, amabo, ted amari, meus festus dies,
 Meus pullus passer, mea columba, mi lepus! 50
 Quom mi haec dicentur dicta: tum tu, furcifer,
 Quasi mus, in medio pariete vorsabere!
 Nunc, ne tu te mihi respondere postules,
 Abeo intro: taedet tui sermonis.

CHALINVS.

Te sequor:

Hic quidem pol certo nihil ages sine me arbitro. 55

CLEOSTRATA. PARDALISCA.

CLEOSTRATA.

Obsignate cellas; referte anulum ad me. b. t. II, 1
Ego huc transeo in proximum ad meam vicinam.
Vir si quid volet me: facite hinc me arcessatis.

PARDALISCA.

Prandium iusserat senex parari sibi. c. t.

CLEOSTRATA.

St,

Abi! nec paro, neque hodie coquetur: quando
istic b. t. 60

Mihi et filiod advorsatur suo, animi
Amorisque causa. Flagitium illud hominis!
Ego illum fame, illum siti, illum maledictis,
Malefactis, amatorem ulciscar! pol illum
Probe angam! faciam, ut, proinde ut est dignus, vi-
tam 65

Colat, flagiti persequentem, Acheruntis
Pablum, stablum nequitiae! Nunc hinc fortunas
Eo questum ad vicinam. b. d.
Sed foris crepuit, atque eapse eecam foras egre-
ditur. Non pol as. ex t. d. et i. d. c.
Mihi per tempus iter incoepi. t. d. 70

MURRHINA. CLEOSTRATA.

MURRHINA.

Sequimini me in proximum huc! heus, vos! ecqui
 haec, quae loquor, audit? as. ext. d. et
 i. d. c. II, 2

Hic ego ero, vir aut si quispiam quaeret: nam
 ubi domi sum

Sola, sopor manus calūitur. Iussin' colum mihi
 ferri?

CLEOSTRATA.

Murrhina, salve.

MURRHINA.

Salve ecastor. Sed quid tu es tristis, amabo?

CLEOSTRATA.

Ita solent, quae sunt male nuptae: domi, foris,
 aegre quod sit, 75

Satis est semper. Nam ego ibam ad ted.

MURRHINA.

Et ego pol istuc ad te.

Sed quid est, quod animo nunc tuo aegre est?
 nam quod tibi aegre est,

Idem mihi dividias est.

CLEOSTRATA.

Credo ecastor: nam vicinam

Neminem amo merito mage quam te; t. d.

Nec, quicum plura sunt mihi, quae ego velim. i. s. 80

MURRHINA.

Amo te atque, istuc quid siet, scire expeto.

CLEOSTRATA.

Vir me habet pessumis despiciatam modis. c. t.

MVRRHINA.

Hem, quid est? Dic item hoc: nam pol haud sat
meo

Corde accepi querelas tuas, obsecro.

CLEOSTRATA.

Vir me habet pessumis despiciatam modis, 85
Nec mihi ius meum est obtinendi optio.

MVRRHINA.

Mira sunt, vera si praedicas: nam viri
Ius suum ad mulieres obtinere haud queunt.

CLEOSTRATA.

Quin mihi ancillulam ingratiis postulat,
Quae mea est, quae mea educta sumtu est, suo 90
Villico se dare. Sed ipse eam amat.

MVRRHINA.

Obsecro, tace! t. t. c.

Nam hic licet nunc dicere: nos sumus

CLEOSTRATA.

Ita est.

MVRRHINA.

Vnde ea est tibi?

Nam peculi probas nihil habere addecet c. t.
Clam viros; et quae habet partum, ei haud com-
mode est,

Quin viro aut subtrahant, aut stupro invenerint. 95
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum est.

CLEOSTRATA.

Tu quidem advorsus tuam amicam omnia loquere.

MVRRHINA.

Tace, sis, stulta, as. ex t. d. et i. d. c.

Et mihi ausculta: noli, sis, tu illi advorsari: sine
amet;

Sine, quod lubet, id faciat: quando tibi nil domi
deliquim est.

CLEOSTRATA.

Satin' sana es? nam tu quidem advorsus tuam rem
ista loquere.

MVRRHINA.

Insipiens, 100

Semper tu huic verbo vitato abs tuo viro.

CLEOSTRATA.

Quoi verbo?

MVRRHINA.

„I foras, mulier.”

CLEOSTRATA.

St!

MVRRHINA.

Quid est?

CLEOSTRATA.

Hem...

MVRRHINA.

Quist, quem vides?

CLEOSTRATA.

Vir eccum it:

Intro abi! adpropera! age, amabo!

MVRRHINA.

Inpetras: abeo.

CLEOSTRATA.

Mox, mage quom

Otium mi et tibi erit: igitur tecum loquar; nunc
valeas.

STALINO. CLEOSTRATA.

STALINO.

Omnibus ego amorem credo nitoribus nitidis an-
 tevenire; i. t. II, 3. 105
 Nec pote commemorari, quod plus salis leporisque
 habeat hodie.
 Enim cocos nimis demiror, tot qui utuntur con-
 dimentis,
 Eos eo uno condimento ne utier, omnibus quod
 praestat:
 Namque amor ubi condimentum inerit, quoivis
 placitum credo;
 Neque salsum neque suave potest quidquam esse,
 ubi amor non admiscetur; 110
 Fel quod amarum est, mel id faciet; hominem ex
 tristi lepidum et lenem.
 Hanc ego de me coniecturam domi facio mage
 quam ex auditis,
 Qui, postquamde amo, magis initio munditiis Mundi-
 tiam antideo;
 Myropolas omnis sollicito; ubicumque est lepi-
 dum unguentum, ungor:
 Illi ut placeam. Et placeo, ut videor. Vxor me
 excruciat, quia vivit! 115
 Tristem adstare adspicio. Blande mala mihi haec
 res adpellanda est.
 Vxor mea, mea amoenitas, quid agis tu?

CLEOSTRATA.

Abi! abstine manum! i. t.

STALINO.

Heia, mea Iuno, non decet esse te tam tristem
tuo Iovi.

Quo abis nunc?

CLEOSTRATA.

Mitte me.

STALINO.

Mane.

CLEOSTRATA.

Non maneo.

STALINO.

At pol ego te sequar.

CLEOSTRATA.

Obsecro, sanun' es?

STALINO.

Sanus, quom ted amo. c. t. 120

CLEOSTRATA.

Nolo ames.

STALINO.

Non potest inpetrari.

CLEOSTRATA.

Enicas!

STALINO.

Vera dicas velim.

CLEOSTRATA.

Credo ego istuc tibi.

STALINO.

Respice, o mi lepus!

CLEOSTRATA.

Nempe ita, ut tu mihi es!

Vnde, amabo, unguentad olent haec?

STALINO.

Oh, perii! Manifesto, inquam, as. ext. d. eti. d. c.
Miser ego teneor! Cesso caput pallio mihi
detergere? 125

Vt te bonus Mercurius perdat, myropola, qui haec
dedisti!

CLEOSTRATA.

Eho tu, nihili cana culex, vix teneor, quin, quae
decent te,

Dicam! Senecta aetate unguentatus per vias, ignave,
Cedis?

STALINO.

Pol ego amico quoidam dedi operam, dum
emit unguenta.

CLEOSTRATA.

Vt cito contentus est! Ecquid te pudet?

STALINO.

Omnia, quae vis. 130

CLEOSTRATA.

Vbi in lustra iacuisti?

STALINO.

Ego in lustra?

CLEOSTRATA.

Scio plus, quam me arbitrare.

STALINO.

Quid id est?

CLEOSTRATA.

Te sene neminem senum omnium esse
ignaviorem. t. t.

Vnde is, nihili? ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bi-
bisti? Id

Est mecastor: vide, palliolum ut rugat.

STALINO.

Di me et te infelicient,
Si ego in os hodie vini guttam indidi,

CLEOSTRATA.

Imo age, ut lubet! bi- 135
be, es, disperde rem!

STALINO.

Ohe, iam satis est, uxor! Conprime: mi-
mium tinnis.

Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum
litiges! — i. t.

Sed quid ais? iam domuisti animum, potius ut,
quod vir velit. t. t. c.

Fieri, id facias, quam advorsere contra?

CLEOSTRATA.

Qua de re?

STALINO.

Rogas?

Super ancilla Casina, ut detur nuptum nostro vil-
lico, 140

Servo frugi, atque illi ubi bene sit ligno, aqua ca-
lida, cibo,

Vestimentis, ubique educat pueros, quos pariat,
prius

Quam illi servo nequam des armigero, nihili at-
que improbo,

Quoi homini hercle hodie peculi numus non est
plumbeus.

CLEOSTRATA.

Mirum mecastor, senecta te aetate officium
tuom 145

Non meminisse?

STALINO.

Quid iam?

CLEOSTRATA.

Quia, si facias recte aut commode,
Me sinas curare ancillas, quae mea est curatio.

STALINO.

Qui, malum, homini scutigerulo dare lubet?

CLEOSTRATA.

Enim filio

Nos oportet opitularier unico.

STALINO.

At quamquam unicust:
Nihilo mage mi est unicus ille filius, quam ego
illi pater. 150
Illum mi aequiust, quam me illi, quae volo, con-
cedere.

CLEOSTRATA.

Tu ecastor tibi, homo, malam rem quaeris. Subo-
let; sentio.

STALINO.

Egone?

CLEOSTRATA.

Tu: nam quid friguttis? quid istuc tam cu-
pide cupis?

STALINO.

Vt enim frugi servo detur potius, quam servo in-
probo.

CLEOSTRATA.

Quid, si ego inpetro atque exoro a villico, causa
mea 155

Illi eam ut permittat.

STALINO.

Quid, si ego autem ab armigero inpetro,

Illi eam permittat? Atque hoc credo me impetrassere.

CLEOSTRATA.

Convenit. Vis tuis Chalinum huc evocem verbis foras?

Tu eum orato; ego autem orabo villicum.

STALINO.

Sane volo.

CLEOSTRATA.

Iam hic erit. Nunc experiemur, nostrum uter sit blandior. 160

STALINO.

Hercules dique istam perdant, quod nunc liceat dicere!

Ego discrucior miser amore; illa autem quasi ob industriam

Mi advorsatur. Subolet hoc iam uxori, quod ego machinor:

Propter eam rem magis armigero dat operam de industria.

STALINO. CHALINVS.

STALINO.

Qui illum di omnes deaeque perdant!

CHALINVS.

Te uxor aiebat tua t. t. c. II, 4. 165
Me vocare.

STALINO.

Ego enim vocari iussi.

CHA-

CHALINVS.

Eloquere, quid velis.

STALINO.

Primum ego te porrectiore fronte volo mecum
loqui.

CHALINVS.

Stultitia est, ei te esse tristem, quous potestas
plus potest.

STALINO.

Pol frugi hominem iampridem esse te arbitror.

CHALINVS.

Intellego.

Quin, si ita arbitrare, emittis me manu?

STALINO.

Quin id volo; 170

Sed nihil est, me cupere factum, nisi tu factis
adiuvas.

CHALINVS.

Quod velis, modo id velim me scire.

STALINO.

Ausculta ergo: loquar.

Casinam ego uxorem promisi villico nostro dare.

CHALINVS.

At tua uxor filiusque promiserunt mihi.

STALINO.

Scio;

Sed utrum nunc tu coelibem te magis esse libe-
rum, 175

An maritum servom aetatem degere et gnatos tuos?

Optio haec tua est; utram harum vis conditionum,
accipe.

CHALINVS.

Liber si sim: meo periclo vivam; nunc vivo tuo.
De Casina certum est concedere homini nato ne-
mini!

STALINO.

Intro abi atque actutum uxorem huc evoca ante
aedis cito, 180
Et sitellam huc tecum efero cum aqua et sortis.

CHALINVS.

Sat placet.

STALINO,

Ego pol istam iam aliquovorsum tragulam deci-
dero:
Nam si sic nihil inpetrare potero, saltem sortiar.
Ibi ego te et subfragatores tuos ulciscar!

CHALINVS.

Attamen

Sors mi obtinget!

STALINO.

Vt quidem pol pereas cruciatu malo. 185

CHALINVS.

Mi illa nubet! Machinare quodlibet quovis modo!

STALINO.

Abin' hinc ab oculis?

CHALINVS.

Invitus me vides; vivam tamen.

STALINO.

Sumne ego miser homo? satin' omnes res sunt ad-
vorsae mihi?

Metuo iam, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Casinam ne ducat. Si id factum est: ecce me
nullum senem! 190

Si non inpetravit: etiam specla in sortitu est mihi.
 Si sors autem decolassit: gladium faciam culcitani,
 Eumque incumbam. Sed progreditur optume ec-
 cum Olympio.

OLYMPIO. STALINO.

OLYMPIO.

Vna edepol opera in furnum calidum con-
 dito, i. s. II, 5

Atque ibi torreto me pro pane rubido, 195
 Hera, quam istanc operam a me inpetres, quod po-
 stulas.

STALINO.

Salvos sum, salva spes est, ut verba audio!

OLYMPIO.

Quid tu me vero a libertate territas?
 Quin, si tu nolis filiusque etiam tuos,
 Vobis invitis atque amborum ingratiis 200
 Vna libella liber possum fieri!

STALINO.

Quid istuc est? quicum litigas, Olympio?

OLYMPIO.

Cum eadem, qua tu semper.

STALINO.

Cum uxoren' mea?

OLYMPIO.

Quam tu mi uxorem? Quasi venator tu qui-
 dem es:

Dies ac noctis cum cane aetatem exigis. 205

STALINO.

Quid ait? quid tecum loquitur?

OLYMPIO.

Orat, obsecrat,

Ne Casinam uxorem ducam.

STALINO.

Quid tum postea?

OLYMPIO.

Negavi enim ipsi me concessurum Iovi,
Si mecum is oret.

STALINO.

Di te servassint mihi!

OLYMPIO.

Nunc in fermento tota est: ita turget mihi. 210

STALINO.

Edepol ego illam mediam disruptam velim!

OLYMPIO.

Credo edepol esse, siquidem tu es frugi bonae.
Verum edepol tua mihi odiosa est amatio:
Inimica est uxor tua mi, inimicus filius,
Inimici familiares.

STALINO.

Quid id refert tua? 215

Vnus tibi hic dum propitius sit Iupiter:
Tu istos minutos cave deos floccifeceris.

OLYMPIO.

Nugae sunt istaec magnae: quasi tu nescias,
Repente ut emoriantur humani Ioves.

[Sed tandem si tu Iupiter sis emortuos,]

Quom ad deos minores redierit regnum tuom: 220

Quis mihi subyeniet tergo, aut capiti, aut cru-
ribus?

STALINO.

Opinione melius res tibi habent tuae,
Si hoc inpetramus, ut ego cum Casina cubem.

OLYMPPIO.

Non hercle opinor posse: ita uxor acriter
Tua instat, ne mihi detur.

STALINO.

At ego sic agam: 225

Coniiciam sortis in sitellam et sortiar
Tibi et Chalino. Ita rem natam intellego:
Necessum est vorsis gladiis depugnarier.

OLYMPPIO.

Quid, si sors aliter, quam voles, evenerit?

STALINO.

Benedice! dis sum fretus; deos sperabimus. 230

OLYMPPIO.

Non istuc ego verbum emsim titivilitio:
Nam omnes mortales dis sunt freti; sed tamen
Video dis fretos saepe multos decipi
Sed tace parumper.

STALINO.

Quid vis?

OLYMPPIO.

Eccum exit foras

Chalinus intus cum sitella et sortibus. 235

STALINO.

Nunc nos conlatis signis depugnabimus.

CLEOSTRATA. CHALINVS. STA-
LINO. OLYMPIO.

CLEOSTRATA.

Face, Chaline, certiozem me, quid meus me vir
velit. t. t. c. II, 6

CHALINVS.

Ille edepol videre ardentem te extra portam Me-
tiam.

CLEOSTRATA.

Credo ecastor velle.

CHALINVS.

At pol ego haud credo, sed certo scio.

STALINO.

Plus artificum est mihi, quam rebar; hariolum hunc
habeo domi. 240

Quid, si propius attollamus signa, eamusque ob-
viam?

Sequere. — Quid vos agitis?

CHALINVS.

Adsunt, quae inperavisti, omnia:

Vxor, sortes, situla et egomet.

STALINO.

Te uno adest plus, quam ego volo.

CHALINVS.

Tibi quidem edepol ita videtur: stimulus ego nunc
sum tibi:

Fodico corculum: adsultaseit iam ex metu!

STALINO.

Mastigia...! 245

CLEOSTRATA.

Tace, Chaline!

OLYMPIO.

Conprime istum!

CHALINVS.

Imo istum, qui didicit dare!

STALINO.

Adpone hic sitellam! sortis cedo mihi! Animum
advortite!

Atqui ego censui abs te posse hoc me inpetrare,
uxor mea,

Casina ut uxor mihi daretur; et nunc etiam censeo.

CLEOSTRATA.

Tibi daretur illa?

STALINO.

Mihi enim? Ah, non id volui dicere. 250

Dum mihi volui: huic dixi; atque adeo, mihi dum
cupio, perperam

Iamdudum hercle fabulor.

CLEOSTRATA.

Pol tu quidem; atque etiam facis.

STALINO.

Sed te uterque tuo pro iure, ego atque hic, ora-
mus...

CLEOSTRATA.

Quid est? 255

STALINO.

Dicam enim, mea mulsa: de istac Casina nostro
villico

Huic... imo hercle mihi.. (Vah, tandem redii vix
veram in viam!)

CLEOSTRATA.

Per pol saepe peccas! Ita fit, ubi quid tantopere
expetas.

STALINO.

Gratiam facias.

CLEOSTRATA.

At pol ego neque facio, neque censeo.

STALINO.

Tum igitur ego sortis sortio utrinque iam?

CLEOSTRATA.

Nam quis vetat?

STALINO.

Optimum atque aequissimum istuc esse, iure iu-
dico.

Postremo, illuc, nos quod volumus, si eveniet:
gaudebimus; 260

Sin secus: patiemur animis aequis. Tene sortem
tibi:

Vide, quid scriptum est, vide!

CHALINVS.

Enim iniquom est...

STALINO.

Quidnam?

CHALINVS.

Isti prius quam mihi est!

STALINO.

Accipe hanc, sis!

CHALINVS.

Cedo! Mane: unum venit in mentem modo:

Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua.

STALINO.

Verbero,

Men' te censes esse? Nulla est: habe quietum ani-
 mum modo, 265

Quod bonum atque fortunatum sit mihi...

CHALINVS.

Magnum malum
 Tibi quidem edepol, credo, eveniet: novi pieta-
 tem tuam.

Sed manedum: num ista aut populna sors aut
 abiegna est tua?

OLYMPIO.

Quid tu id curas?

CHALINVS.

Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.

STALINO.

Age! — Cave! —

CLEOSTRATA.

Coniicite sortis nunc iam, amabo, huc. —

STALINO.

Eccere, 270

Vxor, aequa!

OLYMPIO.

Noli uxori credere.

STALINO.

Habe animum bonum.

OLYMPIO.

Credo hercle, hodie devotabit sortis, si attigerit.

STALINO.

Tace.

OLYMPIO.

Taceo; deos quaeso...

CHALINVS.

Vt quidem hodie tu canem et furcam feras.

OLYMPIO.

Mi ut sortitio eveniat.

CHALINVS.

Vt quidem hercle pedibus pendeas!

OLYMPIO.

At, tu ut oculos emungare ex capite per nasum

tuos!

275

CHALINVS.

Quid times? paratum oportet esse iam — laqueum

tibi.

Periisti!

STALINO.

Animum advertite ambo!

OLYMPIO.

Taceo.

STALINO.

Nunc tu, Cleostrata,

Ne a me memores malitiose de hac re factum,

aut suspices:

Tibi permitto; tute sorti.

OLYMPIO.

Perdis me!

CHALINVS.

Lucrum facit.

CLEOSTRATA.

Bene facis.

CHALINVS.

Deos quaeso, ut tua sors ex sitella ec-

fugerit!

280

OLYMPIO.

Ain' tu? quia tute es fugitivos: omnis te imitari

cupis?

Vtinam tua quidem ista, sicut Herculeis praedicant
Quondam prognatis, in sortiendo sors deliquerit!

CHALINVS.

Tu, ut liquescas ipse, actutum virgis calefactabere!

STALINO.

Hoc age, sis, Olympio!

OLYMPIO.

Si hic literatus me sinat. 285

STALINO.

Quod bonum atque fortunatum mihi sit

OLYMPIO.

Ita vero; at mihi.

CHALINVS.

Non!

OLYMPIO.

Imo hercle!

CHALINVS.

Imo mihi hercle!

STALINO.

Hic vincet; tu vives miser!

Praecide os tu illi hodie! Age! ecquid fit?

CLEOSTRATA.

Cave obiexis manum!

OLYMPIO.

Compressan' palma, an porrecta, ferio?

STALINO.

Age, ut vis.

OLYMPIO.

Hem tibi!

CLEOSTRATA.

Quid tibi istunc tactio est?

OLYMPIO.

Quia Iupiter iussit meus. 290

CLEOSTRATA.

Feri malam illi rursum.

OLYMPIO.

Perii, pugnis caedor, Iupiter!

STALINO.

Quid tibi tactio hunc fuit?

CHALINVS.

Quia iussit haec Iuno mea.

STALINO.

Patiundum est, si quidem me vivo mea uxor imperium exhibet.

CLEOSTRATA.

Tam huic loqui licere oportet, quam isti.

OLYMPIO.

Cur omen mihi

Vituperat?

STALINO.

Malo, Chaline, tibi cavendum censeo. 295

CHALINVS.

Temperi, postquam oppugnatum est os!

STALINO.

Age, uxor, nunc iam

Sorti. Vos advortite animum! Praebe tu!

OLYMPIO.

Vbi sim, nescio!

Perii, cor lienosum opinor habeo: tam dudum salit.

De labore pectus tundit.

CLEOSTRATA.

Tepeo sortem.

STALINO.

Effer foras!

CHALINVS.

Iamne mortuos es?

OLYMPIO.

Ostende! — Mea est.

CHALINVS.

Mala crux, ea est quidem! 300

CLEOSTRATA.

Victus es, Chaline!

STALINO.

Tum nos demum vivere, Olympio,

Gaudeo!

OLYMPIO.

Pietate factum est mea atque maiorum
meorum! t. t.

STALINO.

Intro abi, uxor, atque adorna nuptias!

CLEOSTRATA.

Faciam, ut iubes. t. t. c.

STALINO.

Scin' tute, esse ruri ad villam longe quo ducat?

CLEOSTRATA.

Scio.

STALINO.

Intro abi et, quamquam hoc tibi aegre est, tam
fac adures!

CLEOSTRATA.

Licet. 505

STALINO.

Eamus nos quoque intro; hortemur, ut properent.

OLYMPIO.

Numquid moror?

STALINO.

Nam praesente hoc plura verbo verba non desidero.

CHALINVS.

Si nunc me suspendam: meam operam luserim, i. s.
Et praeter operam restim sumtifecerim, et
Creaverim voluptatem inimicis meis. 310

Quid opus est, qui sic mortuos quidem tamen?
Sorti sum victus! Casina nubet villico!
Atque id non tam aegre est iam, vicisse villicum,
Quam, id expetivisse opere tam magno senem,
Ne mihi daretur, atque ut illi nuberet. 315

Vt illic trepidabat, ut festinabat miser,
Vt subsultabat, postquam vicit villicus!

Attat, concedam huc: audio aperiri foris:
Mihi benevolentes atque amici prodeunt.
Hinc ex insidiis hisce ego insidias dabo. 320

OLYMPIO. STALINO. CHALINVS.

OLYMPIO.

Sine modo rus veniat: ego remittam ad te vi-
rum i. s. II, 7
Cum furca in urbem, tamquam carbonarium!

STALINO.

Ita fieri oportet.

OLYMPIO.

Factum et curatum dabo!

STALINO.

Volui Chalinum, si domi esset, mittere
 Tecum obsonatum: ut etiam in moerore insu-
 per 325
 Inimico nostro miseriam hanc adiungerem.

CHALINVS.

Recessim dabo me ad parietem; imitabor nepam:
 Captandust horum clanculum sermo mihi:
 Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
 At candidatus cedit hic mastigia, 330
 Stimulorum ioculi! Mortem protollo mihi:
 Certum est: hunc Acheruntem praemittam prius!

OLYMPIO.

Vt tibi ego inventus sum obsequens! quod ma-
 xime

Cupiebas, eius copiam feci tibi:
 Erit hodie tecum, quod amas, clam uxorem.

STALINO.

Tace. 335
 Ita me di bene ament, ut ego vix reprimo la-
 bra,

Ob istanc rem quin te deosculer, voluptas mea!

CHALINVS.

Quid? deosculere? quae res? quae voluptas tua?

OLYMPIO.

Ecquid amas nunc me?

STALINO.

Imo edepol me, quam te, minus!
 Licetne amplecti te?

CHALINVS.

Quid? amplecti?

OLYMPIO.

Licet. 340

STALINO.

Vt, quia te tango, mel mihi videor lingere!

CHALINVS.

Eefodere hercle hic volt, credo, vesicam villico.

OLYMPPIO.

Vltro te, amator! apage te a dorso meo!

CHALINVS.

Hodie hercle, opinor, hi conturbabunt pedes.

Solet hic barbatus sane sectari senex. 345

Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum; et

Idem me pridem, quom ei adversum veneram,

Facere atriensem voluerat sub ianua.

OLYMPPIO.

Vt tibi morigerus hodie, ut voluptati fui!

STALINO.

Vt tibi, dum vivam, bene velim plus, quam
mihi! 350

Vt ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi

Bona multa faciam clam meam uxorem!

CHALINVS.

Attate,

Nunc pol ego demum in rectam redii semitam:

Hic ipse Casinam deperit! habeo viros!

STALINO.

Iam hercle amplexari, iam osculari gestio! 355

OLYMPPIO.

Sine prius deduci! Quid, malum, properas?

STALINO.

Amo.

OLYMPPIO.

At non opinor fieri hoc posse hodie.

STALINO.

STA.

STALINO.

Potest,

Si quidem cras censes posse te mitti manu.

CHALINVS.

Enimvero huc aures mage sunt adhibendae mihi:
Iam ego uno in saltu lepide apros capiam duos. 360

STALINO.

Apud hunc sodalem meum atque vicinum mihi
Locus est paratus; ei ego amorem omnem meum
Concredui; is mihi se locum dixit dare.

OLYMPIO.

Quid eius uxor? ubi erit?

STALINO.

Lepide reperi:

Mea uxor vocabit huc eam ad se in nuptias: 365
Vt hic sit secum, se adiuuet, secum cubet.
Ego iussi, et dixit se facturam uxor mea;
Illa huc cubabit; sed vir faxo aderit domi;
Tu rus uxorem duces; id rus hoc erit,
Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias. 370
Hinc tu ante lucem rus cras duces postea.
Satin' astu?

OLYMPIO.

Docte!

CHALINVS.

Age modo, fabricamini!

Malo hercle vostro tam vorsuti vivitis!

STALINO.

Scin', quid nunc facias?

OLYMPIO.

Loquere.

STALINO.

Tene marsupium:
Abi atque obsona! propera! Sed lepide volo: 375
Molliculas escas, ipsa ut mollicula est.

OLYMPIO.

Licet.

STALINO.

Emito sepiolas, lepadas, lolligunculas,
Hordeias.

CHALINVS.

Imo triticeias, si sapis.

STALINO.

Soleas.

CHALINVS.

Qui, quaeso, potius, quam sculponeas,
Quis tibi batuatur os, senex nequissime? 380

OLYMPIO.

Vin' lingulacas?

STALINO.

Quid opus, quando uxor domi est?
Ea lingulaca est nobis: nam nunquam tacet.

OLYMPIO.

In re praesenti ex copia piscaria
Licebit, quid emam, consulere?

STALINO.

Aequom oras: abi!
Argento parci nolo: obsonato ampliter! 385
Nam mihi vicino hoc etiam convento est opus:
Vt, quod mandavi, curet.

OLYMPIO.

Iamne abeo?

CASINA. 451

STALINO.

I modo!

CHALINVS.

Non tribus conduci possum libertatibus,
Quin ego illis hodie conparem magnum malum,
Quinque hanc herae meae rem omnem iam faciam
palam! 399

Manifesto teneo in noxia inimicos meos.

Sed si nunc facere volt hera officium suum:

Nostra omnis lis est: pulcre praevortar viros!

Nostro omine it dies! iam victi vicimus!

Ibo intro: ut id, quod alius condivit cocus, 395

Ego vicissim alio nunc pacto condiam:

Quoi quidem paratum est, ut paratum ne siet,

Sitque ei paratum, quoi paratum non erat.

STALINO. ALCESIMVS.

STALINO.

Nunc, amice ne an inimici sis imago, Alcesi-
me, t. t. c. III, 1

Mihi, sciam! nunc specimen specitur! nunc certa-
men cernitur! 400

Curam eximere, castigare, id ponito ad compen-
dium!

„Cano capite, aetate aliena,” coaddito ad con-
pendium!

„Quoi sit uxor,” id quoque illuc ponito ad con-
pendium!

ALCESIMVS.

Miseriorem ego ex amore, quam te, vidi neminem.

STALINO.

Fac vacent aedes!

ALCESIMVS.

Quin edepol servos, ancillas, domo 405
 Certum est omnis mittere ad te.

STALINO.

Eho, nimium scite scitus es!
 Sed facitodum maximopere vorses, quod cantat
 Colax:
 Cum cibatu quosque facito ut veniant, quasi eant
 Sutrium.

ALCESIMVS.

Meminero.

STALINO.

Hem, nunc enim te demum nullum scitum
 scitiust.
 Cura! Ego ad forum modo ibo; iam hic ero.

ALCESIMVS.

Bene ambula. 410

STALINO.

Fac habeant linguam tuae aedes.

ALCESIMVS.

Quid ita?

STALINO.

Quom veniam, ut vocent.

ALCESIMVS.

Attate, caedundus tu homo es: nimias delicias facis.

STALINO.

Quid me amare refert, nisi sim doctus et dicax
nimis?

Sed cave tu inquisitioni mihi sis.

ALCESIMVS.

Vsque adero domi.

CLEOSTRATA. ALCESIMVS.

CLEOSTRATA.

Vt properarem arcessere hanc ad me vicinam meam,
hoc erat, t. t. c. III, 2. 415

Hoc, ecastor id, quod me vir tanto opere orabat
meus:

Liberæ aedes ut sibi essent, Casinam quo dedu-
ceret.

Nunc adeo nequaquam arcessam ego illanc: igna-
vissumis

Liberi loci potestas vetulis sit vervecibus,

Sed eccillum egreditur senati columen, praesi-
dium populi, 420

Meus vicinus, meo viro qui liberum praebet locum!
Non ecastor vili is emtust, modius qui venit satis.

ALCESIMVS.

Miror, huc iam non arcessi in proximum uxorem
meam,

Quae iamdudum, si arcessatur, ornata expectat
domi.

Sed eccam! Opino, arcessit. Salve, Cleostrata.

CLEOSTRATA.

Et tu, Alcesime. 425

Vbi tua uxor?

ALCESIMVS.

Intus illa te, si se arcessas, manet:

Nam tuos vir me oravit, istuc ad te adiutum ut
mitterem.

Vin' vocem?

CLEOSTRATA.

Sine illam: nolo, si occupata est.

ALCESIMVS.

Otium est.

CLEOSTRATA.

Nil moror; molesta ei esse nolo; post convenero.

ALCESIMVS.

Non istic ornatis apud vos nuptias?

CLEOSTRATA.

Orno et paro. 430

ALCESIMVS.

Non ergo opus est adiutrice?

CLEOSTRATA.

Sat domi est. Vbi nuptiae

Fuerint: tum istam convenibo; nunc vale, atque
istam iube. —

ALCESIMVS.

Quid ego nunc faciam? Flagitium maxumum feci
miser

Propter operam illius hircid improbid, edentuli,

Qui hoc mihi contraxit! Operam uxoris polliceor
foras, 435Quasi catillatum! Flagitium hominis, qui dixit
mihi,

Suam uxorem hanc arcessituram! ea se eam negat
morariet.

Atque edepol mirum, ni subolet iam hoc huic vi-
cinae meae.

Verum autem altrovorsus quom eam mecum ra-
tionem puto:

Si quid eius esset, esset mecum postulatio, 440

Ibo intro: ut subducam navim rursus in pulvi-
narium. —

CLEOSTRATA.

Iam hic est lepide ludificatus. Miseri ut festinant
senes!

Nunc ego illunc nihili, decrepitum, meum virum,
veniat velim,

Vt eum ludificem vicissim, postquam hunc delusi
alterum!

Nam ego aliquid contrahere cupio litigi inter eos
duos: 445

Sed eccum incedit! At, quom adspicias tristem,
frugi censeas,

STALINO. CLEOSTRATA.

STALINO.

Stultitia magna est mea quidem sententia, i. s. III, 3

Hominem amatorem nullum ad forum procedere

In eum diem, qui, quod amet, in mundo siet;

Sicut ego feci stultus: contrivi diem, 450

Dum adsto advocatus quoidam cognato meo,

Quem litem hercle adeo perdidisse gaudeo:
 Ne me nequidquam sibi hodie advocaverit.
 Rogitare prius oportet et contarier,
 Adsitne ei animus, quem advoces, necne adsiet; 455
 Si neget adesse: exanimatum amittas domum.
 Sed uxorem ante aedis eccillam! hei misero mihi!
 Metuo, ne non sit surda atque haec audiverit.

CLEOSTRATA.

Audivi ecastor cum malo magno tuo.

STALINO.

Accedam propius. — Quid agis, mea festivitas? 460

CLEOSTRATA.

Te ecastor praestolabar.

STALINO.

Iamne ornata res?

Iamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
 Quae te adiutaret?

CLEOSTRATA.

Arcessivi, ut iusseras;

Verum hic sodalis tuos, amicus optumus,
 Nescio quid se subflavit uxori suae: 465
 Negavit posse, quando arcesso, mittere.

STALINO.

Vitium tibi istuc maxumum est: blanda es parum.

CLEOSTRATA.

Non matronarum partum est, sed meretricium,
 Viris alienis, mi vir, subblandirier.

I tu atque arcesse eam: ego intus, quod facto est
 opus, 470

Volo adcurare, mi vir.

STALINO.

Propera ergo!

CLEOSTRATA.

Licet.

Iam pol ego huic aliquem in pectus iniiciam
metum!

Miserrimum hodie ego hunc habebō amasium!

ALCESIMVS. STALINO.

ALCESIMVS.

Viso huc, amator si a foro rediit domum, i. s. III, 4
Qui me atque uxorem ludificatust, larüa. 475
Sed eccum ante aedis! Ad te hercle ibam com-
modum.

STALINO.

Atque hercle ego ad te. Quid ais, vir minumi
preti?

Quid tibi mandavi? quid tecum oravi?

ALCESIMVS.

Quid est?

STALINO.

Vt bene vacivas aedis fecisti mihi!
Vt traduxisti huc ad nos uxorem tuam! 480
Satin' propter te pereō ego atque occasio?

ALCESIMVS.

Quin te suspendis? Nempe tute dixeras,
Tuam arcessituram esse uxorem uxorem meam,

STALINO.

Ergo arcessivisse ait sese, et dixisse te,
Eam non missurum.

ALCESIMVS.

Quin eapse ultro mihi 485
Negavit eius operam se morarier.

STALINO.

Quin eapse me adlegavit, qui istam arcesserem.

ALCESIMVS.

Quin nihili facio.

STALINO.

Quin me perdis!

ALCESIMVS.

Quin bene est.

STALINO.

Quin nox et diu morabor!

ALCESIMVS.

Quin cupio tibi.

STALINO.

Quin aliquid aegre faciam!

ALCESIMVS.

Quin faciam lubens. 490

STALINO.

Nunquam tibi hodie Quin erit plus, quam mihi!

ALCESIMVS.

Quin hercle di te perdant postremo quidem!

STALINO.

Quid nunc? missurusne es ad me uxorem tuam?

ALCESIMVS.

Ducas, easque in maxumam malam crucem

Cumque hac, cumque istac, cumque amica etiam
tua! 495

Abi, aliud cura: ego iam per hortum iussero

Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam.

STALINO.

Nunc tu mi amicus es in germanum modum. —

Qua ego hunc amorem mi esse avi dicam datum,

Aut, quid ego unquam erga Venerem inique fecerim, 500

Mihi quomodo sic tot amanti obviam eveniant morae?
Attate, quid illuc clamoris obsecro in nostra domo est? t. t. c.

PARDALISCA. STALINO.

PARDALISCA.

Nulla sum, nulla sum! tota, tota occidi! cor metu mortuom! membra miserae tremunt! c. o. III, 5

Nescio, unde auxili, praesidi, perfugi mi, aut opum copiam comparem aut expetam:

Tanta factu modo mira veris modis intus vidi, novam atque integram audaciam! 505

Cave tibi, Cleostrata! abscede ab ista, obsecro: ne quid in te mali faxit: ita percita.

Eripite isti gladium, quae sui est inpos animi! ch. t.

STALINO.

Nam quid est, quod haec huc timida atque exanimata exiluit foras? t. t. c.

Pardalisca!

PARDALISCA.

Perii, sonitum unde aures usurpant meae?

STALINO.

Respice modo ad me!

PARDALISCA.

Here mi....

STALINO.

Quid tibi est? quid timida
es? i. tr. h. 510

PARDALISCA.

Perii!

STALINO.

Quid peristi?

PARDALISCA.

Perii, et tu peristi! b. t.

STALINO.

Aperi: quid tibi?

PARDALISCA.

Vae tibi!

STALINO.

Imo istuc tibi sit!

PARDALISCA.

Ne cadam, amabo, tene me!

STALINO.

Quidquid est, eloquere mihi cito! t. t. c.

PARDALISCA.

Contine pectus! face ventulum mi, amabo, pal-
lio!

STALINO.

Timeo hoc negotium, quid est, nisi haec meraclo
se uspiam i. t. 515

Percussit flore Liberi. i. d.

PARDALISCA.

Obtine auris, amabo te!

STALINO.

In' in malam crucem! c. t.

Pectus, auris, caput, teque di perduint!

Nam nisi ex te scio, quidquid hoc sit, cito:

Iam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu,
ludibrio as. ext. d. et i. d. c. 520

Pessume adhuc quae me habuisti!

PARDALISCA.

Here mi

STALINO.

Quid vis, mea ancilla?

PARDALISCA.

Nimium saevis!

STALINO.

Numero dicis! t. d.

Sed hoc, quidquid est, eloquere! in pauca refer! b. t.

Quid intus tumulti fuit?

PARDALISCA.

Scibis. Audi

Malum, pessimumque, hic quod intus modo apud
nos 525Tua ancillula hoc pacto exordiri coepit,
Quod haud Atticam condecet disciplinam.

STALINO.

Quid est id?

PARDALISCA.

Timor praepedit dicta linguae.

STALINO.

Quid est? possum scire ex te, istuc quid negoti est?

PARDALISCA.

Dicam. Ancilla tua, quam tuo villico vis 530
Dare uxorem, ea intus . . .

STALINO.

Quid intus? quid est?

PARDALISCA.

I-

mitatur malarum malam disciplinam,
Viro quae suo interminatur...

STALINO.

Quid ergo?

PARDALISCA.

Ah!

STALINO.

Quid est?

PARDALISCA.

Interimere aiit se velle vitam.

Gladium.....

STALINO.

Hem, gladium? quid enim gladium?

PARDALISCA.

Habet.

STALINO.

Hei mihi misero! 535

Cur illum habet?

PARDALISCA.

Insectatur omnis per aedis,

Nec quemquam prope ad se domi sinit adire:

Ita omnes sub arcis, sub lectis, latentes

Metu mussitant.

STALINO.

Occidi atque interii! Quid,

Quid illi est obiectum malitiae repente?

540

PARDALISCA.

Insanit.

CASINA.

463

STALINO.

Scelestissimum me esse credo!

PARDALISCA.

Imo si scias dicta, quae dixit hodie....

STALINO.

Istuc expeto scire. Quid dixit?

PARDALISCA.

Audi.

Per omnis deos et deas deiuravit,

Occisurum eum, hac nocte quicum cubaret. 545

STALINO.

Med occidet?

PARDALISCA.

An quidpiam ad te attinet?

STALINO.

Vah!

PARDALISCA.

Quid cum ea negoti tibi est?

STALINO.

St, peccavi:

Illuc, villicum, dicere, illuc volebam.

PARDALISCA.

Sciens de via in semitam regredire.

STALINO.

Numquid mihi minatur?

PARDALISCA.

Tibi infesta soli est 550

Plus, quam quoiquam.

STALINO.

Quamobrem?

PARDALISCA.

Quia se des uxorem Olympioni; t. t.

Nec tuam, nec suam, nec viri vitam sinet in crastinum protolli.

Id sum huc missa tibi uti dicerem: ab ea uti caveas tibi. t. t. c.

STALINO.

Perii hercle miser! a. m.

Neque est, nec fuit, me senex quisquam amator b. t. 555

Adaeque miser!

PARDALISCA.

Ludon' hunc ego facete?

Nam quae facta dixi, omnia huic falsa dixi:
Hera atque haec dolum ex proximo hunc pro-
derunt;

Ego hunc missa sum ludere.

STALINO.

Heus, Pardalisca!

PARDALISCA.

Quid est?

STALINO.

Est...

PARDALISCA.

Quid?

STALINO.

Est, quod volo exquirere a te. 560

PARDALISCA.

Moram obfers mihi.

STALINO.

At tu mihi obfers moerorem!

Sed etiamne habet?

PARDALISCA.

Et duos!

STA-

CASINA.

465

STALINO.

Quid? duos?

PARDALISCA.

Altero te

Occisurum ait se, altero villicum hodie.

STALINO.

Occisissimus sum omnium hominum, qui vivunt!

Loricam induam mi! optimum esse id ego opi-

nor. 565

Quid uxor mea? eam non adiit atque ademit?

PARDALISCA.

Nemo audet prope accedere.

STALINO.

Exoret.

PARDALISCA.

Orat.

Negat ponere alio modo ullo profecto,

Ni sese sciat villico non datum iri.

STALINO.

Atqui ingratis, quoi non volt, nubet hodie! 570

Nam cur non ego id perpetrem, quod ego oc-

coepi,

Vt nubat mihi? Illud quidem non volebam,

Non; sed villico nostro.

PARDALISCA.

Saepicule peccas.

STALINO.

Timor praepedit verba. Verum, obsecro, dic,

Med uxorem orare, illam ut exoret, ponat 575

Gladium: intro redire ut liceat.

PARDALISCA.

Nuntiabo.

L.

[30]

STALINO.

Et tute orato!

PARDALISCA.

Et ego orabo.

STALINO.

At blande, ut soles! i. s.

Sed — audin' — si hoc ecfexis: soleas tibi dabo

Et anulum in digito aureum et bona plurima.

PARDALISCA.

Operam dabo.

STALINO.

Face, ut inpetres!

PARDALISCA.

Sed nunc iam, 580

Nisi quidpiam remorare me

STALINO.

Abi et cura! i. tr. c.

Redit eccum tandem obsonatu meus adiutor! pom-

pam ducit! t. t.

OLYMPIO. COCVS. STALINO.

OLYMPIO.

Vide, fur, ut sentis sub signis ducas!

COCVS.

Qui vero sunt sentes? t. t. III, 6

OLYMPIO.

Quia, quod tetigere, eloco rapiunt; si eas ereptum,
eloco scindunt:

Ita, quoquo adveniunt, ubiubi sunt, duplici damno
dominos multant. 585

COCVS.

Heia!

OLYMPIO.

At cesso, patriceque aviteque ita hero meo ire
advorsum?

STALINO.

Bone vir, salve!

OLYMPIO.

Fateor.

STALINO.

Quid fit?

OLYMPIO.

Tu amas; ego et esurio et sitio.

STALINO.

Lepide excuratus cessisti hodie!

OLYMPIO.

Ah...!

STALINO.

Mane vero! quam fastidis!

OLYMPIO.

Hei, hei, foetet tuos mihi...

STALINO.

Quae res?

OLYMPIO.

Haec res.

STALINO.

Etiam adstas?

OLYMPIO.

Enimvero

Πραγματά μοι παρέχεις!

STALINO.

Dabo καὶ κακὸν, ut ego opinor, nisi
resistis! 590

OLYMPIO.

ἢ ἂν ζῆν, potin' a me abeas, nisi vis, vomere me
hodie?

STALINO.

Mane!

OLYMPIO.

Quid est? quis

Hic homo?

STALINO.

Herus sum.

OLYMPIO.

Qui herus?

STALINO.

Quoius tu servos es.

OLYMPIO.

Servosne ego? t. t. c.

STALINO.

Ac meus!

OLYMPIO.

Non sum liber? Memento, memento! b. t.

STALINO.

Mane atque adsta!

OLYMPIO.

Omittas! tuos sum. b. tr.

STALINO.

Optume, obsecro te, Olympisce, pater mi, mi pa-
trone . . . as. ext. d. et i. d. c. 595

OLYMPIO.

Hem, sapis sane.

STALINO.

Tuos sum equidem.

OLYMPIO.

Quid mihi servo opust tam nequam?

STALINO.

Quid nunc? quam mox recreas me?

OLYMPIO.

Coena modo si sit cocta.

STALINO.

Abeant ergo propere!

OLYMPIO.

Introite cito et cito deproperate!

Iam intus ero. Facite, ebria ut sit mihi! Lepi-

de volo nitideque;

Nil moror, barbarico ritu. — Nae, etiam i, sis;

hic ego habito. 600

Num quid ceterum, quod morae sit?

STALINO.

Casinam habere intus aiant,

Qui med ac te invitet.

OLYMPIO.

Scio. Sine habere! nugas agitant.

Novi ego malas illas mercis. Quin tu i domum

modo mecum!

STALINO.

At

Pol malam metuo: i tu modo: prius perspicio,

quid intus agatur!

OLYMPIO.

Tam mihi mea, quam tua tibi, vita cara est.

STALINO.

Verum i modo!

OLYMPIO.

Tu iubes: inibitur tecum.

Si 605
t. d.

PARDALISCA.

Nec pol ego Nemeae credo, neque ego Olym-
piae, i. s. IV, 1

Neque usquam ludos tam festivos fieri,

Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles

Seni nostro et nostro Olympioni villico. 610

Omnes festinant intus totis aedibus;

Senex in culina clamat, hortatur cocos:

„Quin agitis hodie? quin datis, si quid datis?

„Properate! coenam iam esse coctam oportuit!“

Villicus hic autem cum corona, candide 615

Vestitus, lauteque exornatus, ambulat.

Ipsae autem in cubiculo armigerum ornant, quem
duint

Pro Casina nuptum nostra; at dissimulant fore,

Huius quod est futurum. Digne autem coqui

Nimis lepide ei re dant operam: ne coenet se-
nex: 620

Aulas pervortunt, ignem restinguunt aqua.

Illarum oratu faciunt; illae autem senem

Incoenam extrudere cupiunt ex aedibus:

Vt ipsae solae ventres distendant suos.

Novi illas: ambo estrices: corbitam cibi 625

Comesse possunt. Sed aperitur ostium.

STALINO. PARDALISCA.

STALINO.

Si sapitis, uxor: vos tamen coenabitis, i. s. IV, 2
 Coena ubi erit cocta; ruri ego coenavero:
 Nam novom maritum et novam nuptam volo.
 Rus prosequi: novi hominum mores maleficos: 630
 Ne quis eam abripiat. Facite vostro animo volup.
 Sed properate istum atque istam actutum emittere:
 Tandem ut veniamus luci. Ego cras hic ero;
 Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.

PARDALISCA.

Fit, quod futurum dixi: incoenatum senem 635
 Foras extrudant mulieres.

STALINO.

Quid tu hic agis?

PARDALISCA.

Ego? Eo, quo me ipsa misit.

STALINO.

Veron'?

PARDALISCA.

Serio.

STALINO.

Quid hic speculari?

PARDALISCA.

Nil quidem speculari.

STALINO.

Abi:

Tu hic cunctas; intus alii festinant.

PARDALISCA.

Eo.

STALINO.

Abi hinc, sis, ergo, pessumarum pessuma! 640

Iamne abiit illaec? Dicere hic quidvis licet:
 Qui amat, tamen hercle, si esurit, nilum esurit.
 Sed eccum progreditur cum corona et lampade
 Meus socerus, conpar, conmaritus, villicus!

 OLYMPIO. STALINO.

OLYMPIO.

Age, tibicen! dum illam educunt huc novam nu-
 ptam foras: t. t. c. IV, 3. 645
 Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam. Io,
 Hymen, Hymenaeae, t. t.
 Io, io, Hymen!

STALINO.

Quid agis, mea salus?

OLYMPIO.

Esurio hercle atque adeo

Haud sitio.

STALINO.

Ast ego amo.

OLYMPIO.

Ast ego hercle nil facio tibi,
 Amor, pericli:

Mihi iamdudum inanitated intestina murmurant. t. t. c.

STALINO.

Nam quid illaec nunc tamdiu intus remorantur re-
 meligines, 650

Quasi ob industriam? Quanto ego plus propero,
tanto illaec minus!

OLYMPIO.

Quid, si etiam obfundam ego hymenaeum? t. d.

STALINO.

Censeo; et ego te adiutabo in nuptiis commu-
nibus. t. t. c.

OLYMPIO.

Io, Hymen, Hymenaeae! io Hymen! t. d. h.

STALINO.

Perii hercle ego miser: dirumpi cantando hyme-
naeum licet; t. t. c. 655

Illo morbo, quo dirumpi cupio, non est copia!

OLYMPIO.

Edepol nae tu, si equos esses, esses indomabilis.

STALINO.

Quo argumento?

OLYMPIO.

Nimis tenax es.

STALINO.

Num me expertus uspiam?

OLYMPIO.

Di melius faciant! Sed crepuit ostium; exitur foras.

STALINO.

Di hercle me cupiunt servatum: iam Casina obo-
luit procul! 660

ANCILLAE DVAE. OLYMPIO. STALINO.

ANCILLA.

Sensim super attolle limen pedes, nova nupta!
sospes as. ext. d. et i. d. c. IV, 4.

Iter hoc incipe: ut viro tuo semper sis superstes,
Ac potior pollentia sis, victrixque sies, superetque
Tuom imperium, vir te vestiat, tu virum despolies;
Et diu ut viro sies subdola, obsecro, memento! 665

OLYMPPIO.

Maximo malo suo hercle eloco, ubi tantulum peccassit!

STALINO.

Non taces?

OLYMPPIO.

Non taceo.

STALINO.

Quae res?

OLYMPPIO.

Malae malae male monstrant!
Faciunt hanc mihi rem ex parata inparatam! b. t.
Id quaerunt, volenti haec mi ut infecta faciant.

ANCILLA.

Age, Olympio, quando vis, uxorem accipe hanc a nobis! i. t. c. 670

OLYMPPIO.

Date ergo, daturae hoc die si estis unquam! b. t.

STALINO.

Abite intro!

ANCILLA.

Amabo, integrae atque inperitae
Huic inpercito!

STALINO.

Atqui futurum est. Valete! —

Iamne abscessit uxor?

OLYMPIO.

Domi est: ne time!

STALINO.

Euax,

Nunc pol demum ego sum liber! — Meum cot-
clum, melculum, verclum...! as. ext.

d. et i. d. c. 675

OLYMPIO.

Heus, malo tu, si sapis, cavebis: mea est haec.

STALINO.

Scio; sed

Fructus meus prior.

OLYMPIO.

Tene hanc lampadem?

STALINO.

Imo ego iam tenebo!

Multipotens Venus, bonam vitam mihi dedisti,
quom huius

Copiam mihi dedisti! — Corpusculum melliculum!

OLYMPIO.

Heia, uxorcula!

STALINO.

Quid id est?

OLYMPIO.

Institit plantam.

STALINO.

Quasi iocabo. — 680

Nebula haud mollis est atque huius...! Edepol
papillam bellu-

lam! — Hei misero mihi!

OLYMPIO.

Quid id est?

STALINO.

Pectus mihi haec nunc angit cubito!

OLYMPIO.

Quid tute ergo hanc, quaeso, tractas tam? At mihi,
qui belle hanc tracto

Non... Vah...

STALINO.

Quid negoti est?

OLYMPIO.

Obsecro te, ut valentula est! pe-
ne exposuit cubito.

STALINO.

Cubitum ergo ire volt.

OLYMPIO.

Quin imus ergo? 685

STALINO.

I, bellatula, belle, Casina!

PARDALISCA. MVERRHINA.

PARDALISCA.

Acceptae bene et commode eximus intus, b. t. V, r
Ludos visere huc in via nuptialis.

MVERRHINA.

Nunquam ecastor ullo die risi adaeque,
Neque hoc, quod relictum est, plus risuram opi-
nor; 690

Nec fallaciam astutiorum ullus fecit
Poëta, atque ut haec est fabre facta a nobis.

Obtunso ore nunc pervelim progredi
 Senem, quo senex nequior nullus vivit!
 Ne illum nequiores quidem esse arbitror, qui 695
 Locum praebet illi. Nunc hic, Pardalisca,
 Praesidium esto: qui exeat, ut ludibrio habeas.

PARDALISCA.

Lubens et solens fecero.

MVRRHINA.

Pone, amabo;

Et specta omnia intus! Lubet, quid agat, scire
 Novo cum marito novom nuptum; et illi 700
 Licet quaevis audacius proloqui.

PARDALISCA.

Tat,

Foris vostra crepuit!

b. d.

OLYMPIO. CLEOSTRATA. MVR-
 RHINA.

OLYMPIO.

Neque, quo fugiam, neque, ubi lateam, neque, de-
 decus quomodo celem, a. Ar. V, 2
 Scio: tantum herus atque ego flagitio superavimus
 nuptiis nostris:
 Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita
 ridiculo sumus ambo! 705
 Sed ego insipiens nova nunc facio: pudet, quoi
 prius non pudium unquam est.
 Operam date, dum mea facta itero! est operae
 auribus accipere

Ita ridicula auditu, iteratu, sunt ea, quae ego in-
tus tuli. t. t. c.

Intus ubi hanc [novam nuptam] recta via dedu-
xeram: abduxi clavem.

Sed tamen tenebrae ibi erant, tamquam nox 710

Conloco, fulcio, mollio, ut senex ab re de-
cumberet

Prior quam senex nupt

Tardus esse eloco coepi, quoniam

Respecto itentidem, ne prius senex

Inlecebram stupri principio eam savium posco:
manum t. t. c. 715

Repulit mihi, nec quietum savium dare me sinit.

Enim iam magis adpropero; iam magis intruere in
Casinam lubet.

Cupio illam operam seni subripere: obdo forem:
ne me opprimat.

MVRRHINA.

Agedum, tu adi hunc.

CLEOSTRATA.

Obsecro, ubi tua nova nupta est?

OLYMPIO.

Perii hercle ego: manifesta res est!

CLEOSTRATA.

Omnem ordine rem 720

Fateri necessum ergo actutum est. Quid intus agi-
tur? quid agit

Casina? satin' morigera est?

OLYMPIO.

Pudet dicere me

CLEOSTRATA.

Memora ordine, ut occeperas.

CASINA.

479

OLYMPIO.

Pudet hercle.

CLEOSTRATA.

Age audacter.

Vt eam occlusisti, inde volo memorari, ut est factum.

OLYMPIO.

Flagitium est.

CLEOSTRATA.

Cavebunt, qui audierint, faciant. 725

OLYMPIO.

Hoc maius est. Primum

CLEOSTRATA.

Perdis! quin tu pergis?

OLYMPIO.

Vbi

us subtus porro

quid

OLYMPIO.

Papae!

CLEOSTRATA.

Quid?

OLYMPIO.

Papae.

quid est.

OLYMPIO.

Oh, erat maxumum.

gladium haberetne, an calumniam me-

tui: id quaerere occoepi. 730

Dum, gladiumne habeat, quaero: arripio ca-
pulum.

Sed quom cogito, non habuit gladium: nam esset
frigidus. t. t. c.

CLEOSTRATA.

Eloquere.

OLYMPIO.

At pudet.

CLEOSTRATA.

Num radix fuvit?

OLYMPIO.

Non.

CLEOSTRATA.

Num cucumis?

OLYMPIO.

Profecto hercle non fuit quidquam olerum;
Nisi, quidquid erat, calamitas profecto attigerat
nunquam quidquam: t. t. 735

Ita quidquid erat, grande erat.

MVRRHINA.

Quid fit denique? edisserta.

OLYMPIO.

Vbi adpello: Casina, inquam,
Amabo, mea uxorcule, cur tuom virum sic b. t.
Me spernis? Nimis tu quidem hercle inmerito nunc
Meo mi haec facis: quia mihi te expetivi: 740
Illa haud verbum facit, et sepiit veste id, qui estis.
Vbi illum saltum video obseptum: rogo, ut altero
sinat ire. as. ex t. d. et i. d. c.

Volo, ut obvortam cubitissim:

Vllam muttire

Surgo, ut ineam, in

745

Atque illam in

MVRR-

MYRRHINA.

Perlepide narrat.

OLYMPIO.

Savium dum quaero
 ita quasi setis labra barba conpungit mihi. t. t. c.
 Continuo in genua adstituto pectus pedibus per-
 cutit.

Decido de lecto praeceps: subsilit, obtundit mi-
 hi os. 750

Inde foras tacitus proficiscor cum hoc ornatu, quo
 vides:

Vt senex hoc eodem poclo, quo ego, biberet.

CLEOSTRATA.

Optimum est.

Sed ubi palliolum est tuom?

OLYMPIO.

Hic intus liqui.

CLEOSTRATA.

Quid nunc? satin' manus
 Lepide est adita vobis?

OLYMPIO.

Merito. Sed concrepuerunt fores!
 Num illa me nam sequitur? t. d. br. 755

STALINO. OLYMPIO.

STALINO.

Maxumod ego ardeo flagitio, nec, quid agam meis
 rebus, t. t. V, 3
 Scio, nec, meam ut uxorem adspiciam contra ocu-
 lis: ita disperii.

I.

[31]

Omnia palam sunt probra: omnibus modis occidi
miser:

Ita manifesto faucibus teneor;

Nec quibus modis purgem scio me meae uxori, 760

Qui expalliatum sum miser:

palam clandestinae nuptiae

censeo

michi optimum est.

Ea dux uxorem meam:

765

nam.

Sed equis est, qui homo munus velit fungier pro me?

Quid mundum agam, nescio, nisi ut improbos famulos

imitet; ac domo fugiam:

Nam salus nulla est scapulis, si domum redeo.

Nugas istuc dicere licet; vapulo hercle ego invi-

tus, tamen-

770

etsi malum merui. Hac dabo protinam me in fugam.

OLYMPIO.

Heus, sta eloco,
Amator!

STALINO.

Occidi! revocor. Quasi non audiam, abibo.

CHALINVS. STALINO. CLEOSTRA-
TA. MVRRHINA. OLYMPIO. AN-
CILLAE.

CHALINVS.

Vbi tu es nunc, qui colere mores Massiliensis po-
stulas? t. t. c. V, 4

Nunc, tu si vis subigitare me, proba est occasio.
 Periisti hercle! Age, accede huc 775

Hic desunt octo versus.

STALINO.

Hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore.

CLEOSTRATA.

Quid agis tu, marite, mi vir? unde ornatu hoc ad-
 venis?

Quid fecisti scipione, aut, quod habuisti pallium?

ANCILLA.

In adulterio dum moechissat Casinam, credo, per-
 didit.

STALINO.

Occidi!

CHALINVS.

Etiamne imus cubitum? Casina sum!

STALINO.

I in malam crucem! 780

CHALINVS.

Non amas me?

CLEOSTRATA.

Quin responde, tuo quid factum est pallio!

STALINO.

Bacchae ergo hercule, uxor, Bacchae, Bacchae...

ANCILLA.

Nugatur sciens!
 Nam ecastor nunc Bacchae nullae ludunt.

STALINO.

Oblitus fui.

Sed tamen Bacchae...

CLEOSTRATA.

Quid Bacchae? Enim istuc fieri non potest.

ANCILLA.

Ecastor times.

STALINO.

Egone?

CLEOSTRATA.

Haud mentire hercle: nam palam est. 785

Hic in plerisque Mss. lacuna est versuum novem.

STALINO.

Non taces?

OLYMPIO.

Non hercle vero taceo: nam tu maximo
 Me obsecravisti opere, Casinam ut poscerem uxorem mihi.

Tui amoris causa istuc feci.

CLEOSTRATA.

Imo hercle illius te quidem
 Oppressisset.

STALINO.

Feci ego istaec dicta, quae vos dicitis?

CLEOSTRATA.

Rogitas etiam?

STALINO.

Si quidem hercle feci: feci nequiter. 790

CLEOSTRATA.

Redi modo huc intro: monebo, si quid meministi
 minus.

STALINO.

Heracle, opinor, potius vobis credam, quod vos dicitis.

Sed viro da hanc, uxor, veniam! Murrhina, ora
Cleostratam!

Si unquam posthac aut amasso Casinam, aut oc-
cepso modo,

Nedum ut amasso; si ego unquam adeo posthac
tale admisero: 795

Nulla causa est, quin pendentem me, uxor, virgis
verberes.

MURRHINA.

Censeo ecastor, hanc dandam veniam.

CLEOSTRATA.

Faciam, uti iubes.

Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus
gravate prospero:

Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.

STALINO.

Non irata es?

CLEOSTRATA.

Non sum irata.

STALINO.

Tuae fide credo?

CLEOSTRATA.

Meae. 800

STALINO.

Lepidiorem uxorem nemo quisquam, quam ego,
habet.

CHALINVS.

Hanc habe.

CLEOSTRATA.

Age tu, redde huic scipionem et pallium.

CHALINVS.

Tene, si lubet.

Mihi quidem edepol insignite facta est magna in-
iuria:
Duobus nupsi; neuter fecit, quod novae nuptae
solet.

G R E X.

Spectatores, quod futurum est intus, hic memora-
bimus. t. t. c. 805
Haec Casina huius reperietur filia esse e proximo,
Eaque nubet Euthynico nostro herili filio.
Nunc vos aequom est manibus meritis meritam
mercedem dare.
Qui faxit: clam uxorem ducat scortum semper,
quod volet;
Verum qui non manibus clare, quantum poterit,
plauserit, 810
Ei pro scorto supponetur hircus unctus nautea.

C I S T E L L A R I A .

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100

ARGUMENTVM.

Comprimit adolescens Lemnius Sicyoniam.
Is redit in patriam et gnatam generat nuptiis.
Sicyonia quam parit puellam, hanc servulus
Tollit et exponit, et ex insidiis aucupat;
Eam sublatam meretrix alij detulit.
Lemno post rediens ducit, quam compresserat,
Lemnius, et gnatum spondet adolescentulo,
Amore capto illius proiectitiae.
Requirens servus reperit, quam proiecerat;
Itaque hanc lege et rite civem cognitam
Alcesimarchus, ut erat nactus, possidet.

DRAMATIS PERSONAE.

SILENIVM.

GYMNASIVM.

LENA.

AVXILIVM.

MELAENIS.

ALCESIMARCHVS.

LAMPADIO.

PHANOSTRATA.

HALISCA.

DEMIPHO.

GREX.

SILENIVM. GYMNASIVM. LENA.

SILENIVM.

Cum te antehac amavi et mihi amicam esse
crevi, b. t. I, I
Mea Gymnasium, et matrem tuam; tum (id mihi hodie
Aperuistis, tu atque haec), soror si mea esses,
Qui magis potueratis mihi habitum ire honorem,
Nescio; nisi, ut meus animus, fieri non posse ar-
bitror: t. t. c. 5
Ita relictis omnibus rebus, mihi frequentem ope-
ram dedistis. t. t.
Eo et ego vos amo, et eo a me magnam inistis
gratiam. t. t. c.

GYMNASIVM.

Pol istoc quidem pacto et pretio facile est b. t.
Tibi, nos frequentare utibilesque haberi:
Ita in prandio nos lepideque nitideque io
Accepisti ad te, semper ut meminerimus.

SILENIVM.

Lubenti edepol animo factum et fiet a me,
Quae vos arbitrabor velle, ea ut expetessam.

LENA.

Quod ille dixit, qui secundo vento vectus, i. tr. h.

Mari tranquillo, ventum ecastor gaudeo ad te: 15
 Ita hodie suavibus modis hic sumus acceptae;
 Neque, nisi disciplina, fuit apud te quidquam
 Ibi, quin mihi placeret.

SILENIUM.

Quid ita, amabo?

LENA.

Raro

Nimium dabat, quod biberem, atque id merum in-
 fuscabat.

GYMNASIUM.

Amabo, hiccine istuc decet?

LENA.

Iusque fasque est: b. t. 20

Nemo alienus hic est.

SILENIUM.

Merito vostro amo vos:

Quia me colitis et magnificitis. b. tr.

LENA.

Decet pol, mea Silenium, nunc, benevolentis i. tr. h.
 Inter sese esse hunc ordinem, beneque amicitia
 Vtier, ubi istas videas summates matronas, 25
 Vt eam colunt atque bene iunctam habent inter se.
 Si idem istuc nos faciamus, si idem istuc imitemur:
 Ita tamen vix vivimus cum invidia summa.
 Suarum nos opum volunt esse indigentis;
 Nostra nos nihilum copia volunt potesse, 30
 Suique omnium rerum nos indigere: ut simus
 Supplices sibi. Illas si adeas: abiturum, quamde adi-
 tum as. ex t. d. et i. d. c.
 Malis: ita nostro ordini palam blandiuntur; clam, si
 Vsquam occasio ulla est, frigidam subdole subfundunt.

Viris cum suis praedicant nos solere; b. t. 35

Suas pellices aiunt esse: eunt depressum:

Quia nos libertinae sumus, et ego et tua mater
ambae i. t. c.

Meretrices fuimus; illa ted, ego hanc mihi educavi

Ex patribus contentis. Neque hanc superbiai
causa

Ego repuli ad meretricium quaestum, nisi, ut ne
esuriam. 40

SILENIUM.

At satius fuerat, eam viro dare nuptum potius.

LENA.

Heia,

Ecistor haec cotidie quidem nubit, nupsitque hodie,

Nubet mox noctu. Nunquam ego hanc viduam

cubare sivi:

Nam si haec non nubat, lugubre fame familia pereat.

GYMNASIVM.

Necesse est, quo tu me modo voles, ita esse, ma-

ter. 45

LENA.

Ecistor haud me poenitet, si, ut dicis, ita futura es:

Nam si quidem ita eris, ut volo: non Hecala fies

unquam,

Semperque istanc, quam nunc habes, aetatulam

obtinebis,

Multisque damno et mihi lucro sine sumtu meo

eris saepe.

GYMNASIVM.

Di faxint!

LENA.

Sine opera tua nil di horunc facere possunt. 50

GYMNASIVM.
 Equidem hercle addam operam sedulo. Sed quid
 tu haec inter verba,
 Meus oculus, mea Silenium? Nunquam ego te tri-
 stiozem
 Vidi esse! Quid, cedo, te obsecro, tam abhorret
 hilaritudo?

Neque munda adaeque es, ut soles. Hoc, sis, vi-
 de, ut petivit
 Suspirium alte! Et pallida es. Eloquere utrumque
 nobis, 55
 Et, quid tibi est, et, quid velis nostram operam:
 ut nos sciamus.

Noli, obsecro, lacrumis tuis me exercitum imperare!

SILENIUM.
 Excrucior male, mea Gymnasium; male mihi est,
 male maceror; t. t. c.
 Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegri-
 tudine.

Quid dicam, nisi: Stultitia mea me in moerorem
 rapit. 60

GYMNASIVM.
 Ibidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam se-
 pelibilem.

SILENIUM.
 Qui faciam?

GYMNASIVM.
 In latebras abscondas pectore peni-
 tissimo.
 Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis ar-
 bitris.

SILENIUM.

At mihi cor est.

GYMNASIUM.

Qui id? unde est tibi cor, commemora,
obsecro,

Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mu-
lier, ut perhibent viri? 65

Si quidem est, quod doleat: dolet; sin autem est:
tamen hoc huic dolet.

GYMNASIUM.

Amat haec mulier.

SILENIUM.

Eho, an amare occipere amarum est,
obsecro?

GYMNASIUM.

Namque ecaster amor et melle et felle est fecun-
dissumus.

Gustulum dat dulcem; amarum ad satietatem us-
que oggerit.

SILENIUM.

Istam ad faciem est morbus, qui me, mea Gy-
mnasium, macerat. 70

GYMNASIUM.

Perfidiosus amor est.

SILENIUM.

Ergo in me peculatum facit.

GYMNASIUM.

Bono animo es: erit isti morbo melius.

SILENIUM.

Confidam fore,
Medicus si veniat, qui huic morbo facere medici-
nam potest.

GYMNASIVM.

Veniet.

SILENIUM.

Spissum istuc verbum est amanti, „Veniet,”
nisi venit.

Sed ego mea culpa et stultitia peius misera ma-
ceror: 75

Quia ego illum unum mi exoptavi, quicum aeta-
tem degerem.

LENA.

Matronae istuc conducibile magis est, mea Si-
lenium,

Vnum amare et cum eo aetatem exigere, quoi nu-
pta est semel;

Verum enim meretrix fortunati est oppidi simil-
luma:

Non potest suam rem obtinere sola sine multis
viris. 80

SILENIUM.

Hoc volo agatis: qua arcessitae causa ad me estis,
eloquar.

Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem
dicier,

Obsecuta est; de ea re gessit morem morigerae
mihi:

Vt me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo
vivere.

LENA.

Stulte ecastor fecit. Sed tu en unquam cum qui-
quam viro 85

Consuevisti?

SI-

SILENIUM.

Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine,
Neque pudicitiam meam mi alius quisquam inmi-
nuit.

LENA.

Obsecro,
Quo is homo insinuavit pacto se ad te?

SILENIUM.

Per Dionysia
Mater me pompam spectatum duxit. Dum redeo
domum:
Conspicillo consecutust clanculum me usque ad
foris; 90
Inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum
simul
Blanditiis, muneribus, donis.

LENA.

Mi istum hominem vellem dari!
Vt ego illunc vorsarem!

SILENIUM.

Quid opus verbis? Consuetudine
Coepti amare contra ego illum.

LENA.

O mea Silenium...

SILENIUM.

Quid est?

LENA.

Adsimulare amare oportet: nam si ames: extem-
pulo 95
Melius illi multo, quem ames, consulas, quam
re tuae.

SILENIUM.

At illic conceptis iuravit verbis apud matrem
 meam,
 Me uxorem esse ducturum. Ei nunc alia ducenda
 est domum,
 Sua cognata Lemniensis, quae habitat hic in pro-
 xumo:
 Nam pater eius subegit. Nunc mea mater irata
 est mihi, 100
 Quia non redierim domum ad se, postquam eam
 rem resciverim,
 Vxorem esse ducturum aliam.

LENA.

Nihil amoris iniurium est.

SILENIUM.

Nunc ego te amabo, ut hanc hoc triduum solum
 sinas
 Esse hic et servare apud me: nam ad matrem ac-
 cessita sum.

LENA.

Quanquam mi istud erit molestum triduum, et da-
 mnum dabis: 105
 Faciam.

SILENIUM.

Facis benigne et amice. Sed tu, Gymna-
 sium mea,
 Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter
 Inclamare eum (utut erga me est meritis, mihi
 cordi est tamen);
 Sed, amabo, tranquille! ne quid, quod ei doleat,
 dixeris!

Accipias clavis, si quid erit tibi opus promptu, pro-
mito. 110

Ego volo ire.

GYMNASIVM.

Vt mi excivisti lacrimas!

SILENIUM.

Gymnasium mea,

Bene vale.

GYMNASIVM.

Cura te, amabo. Siccine immunda, obsecro,
Ibis?

SILENIUM.

Inmundas fortunas aequom est squalorem sequi.

GYMNASIVM.

Amiculum hoc sustolle saltem.

SILENIUM.

Sine trahi, quom egomet trahor.

GYMNASIVM.

Quando ita tibi lubet: vale atque salve.

SILENIUM.

Si possim, velim. 115

GYMNASIVM.

Numquid me vis, mater, intro quin eam? Eca-
stor mihi

Visa amare.

LENA.

Istoc ergo auris graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. Abi intro.

GYMNASIVM.

Numquid me vis?

LENA.

Vt valeas.

GYMNASIVM.

Vale.

LENA.

Idem mihi, quod magnae parti est vitium mulie-
rum, i. s.

Quae hunc quaestum facimus, quae, ubi saburra-
tae sumus, 120

Largiloquae extemplo sumus; plus loquimur, quam
sat est.

Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sen-
tentia,

Quiaque adeo me conplevi flore Liberi:

Mage libera uti lingua conlubitum est mihi;

Tacere nequeo misera, quod tacito usus est. 125

Nam illanc ego olim, quae hinc flens abiit, par-
volam

Puellam proiectam angiportu sustuli.

Adulescens quidam hic est adprime nobilis

(Sicyone summo genere ei vivit pater);

Is amore misere hanc deperit mulierculam, 130

Quae hinc modo flens abiit; contra amore haec
perdita est.

Eam meae ego amicae dono huic meretrici dedi:

Quia saepe mecum mentionem fecerat,

Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi

Recens natum, eapse quod sibi supponeret. 135

Vbi mihi potestas primum evenit: eloco

Feci eius eii, quod me oravit, copiam.

Postquam eam puellam a me accepit: eloco

Eandem puellam peperit, quam a me acceperat,

Sine obstetricis opera et sine doloribus, 140

Item ut aliae pariunt, quae malum quaerunt sibi:

Nam amatorem aibat esse peregrinum sibi:
 Suppositionem eius re facere gratia.
 Id duae nos solae scimus, ego, quae illi dedi,
 Et illa, quae a me accepit, praeter vos quidem. 145
 Haec sic res gesta est: si quis usus venerit,
 Meminisse ego hanc rem vos volo. Ego ab eo
 domum.

A V X I L I V M.

Vtrumque haec, et multiloqua et multibiba, est
 anus. i. s. I, 2
 Satin' vix reliquit deo, quod loqueretur, loci?
 Ita properavit de puellae proloqui 150
 Suppositione. Quodsi tacuisset: tamen
 Ego eram dicturus, deus, qui poteram planius:
 Nam mi est Auxilio nomen. Nunc operam date:
 Vt ego argumentum hoc vobis plane perputem.
 Sicyoni fuere iamdiu Dionysia; 155
 Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
 Isque hic compressit virginem adolescentulus
 Vi, vinolentus, multa nocte, in via,
 Is ubi malam rem scit se meruisse: eloco
 Pedibus per fugium peperit: in Lemnum aufugit, 160
 Vbi tum habitabat. Illa, quam compresserat,
 Decimo post mense exacto hic peperit filiam;
 Quoniam reum eius facti nescit, qui siet:
 Paternum servom sui participat consili;
 Dat eam puellam ei servo exponendam ad ne-
 cem. 165

Is eam proiecit; haec puellam sustulit;
 Ille illam clanculum observavit servolus,
 Quo aut quas in aedis haec puellam deferat.
 Vt eampse vos audistis confiterier,
 Dat eam puellam meretrici huic Melaenidi; 170
 Eaſque educavit eam sibi pro filia
 Bene ac pudice. Tum illic autem Lemnius
 Propinquam uxorem duxit, cognatam suam.
 Ea diem suom obiit; facta morigera est viro.
 Postquam ille uxori iusta fecit: eloco 175
 Huc conmigravit; duxit uxorem sibi
 Eandem, quam olim virginem hic conpresserat,
 Et eam cognoscit esse, quam conpresserat.
 Illa illi dicit: eius se ex iniuria
 Peperisse gnatam, atque eam se servolo eloco 180
 Dedisse exponendam. Ille extemplo servolum
 Iubet illum eundem persequi, si qua queat
 Reperire, quae sustulerit. Ei re nunc suam
 Operam usque adsiduo servos dat: si possiet
 Meretricem illam invenire, quam olim tollere, 185
 Quom ipse exponebat, ex insidiis viderat.
 Nunc, reliquiom quod restat, volo persolvere;
 Vt expugnatur nomen, ne quid debeam.
 Adulescens hic est (Sicyoni ei vivit pater);
 Is amore proiecticiam illanc deperit, 190
 Quae dudum flens hinc abiit ad matrem suam;
 Et illa hunc contra, qui est amor suavissimus.
 Vt sunt humana: nihil est perpetuom datum:
 Pater adulescenti dare volt uxorem. Hoc ubi
 Mater rescivit: iussit arcessi eam domum. 195
 Haec sic res gesta est. Bene valetate et vincite
 Virtute vera, quod fecistis antidhac!

Servate vestros socios, veteres et novos!
 Augete auxilia vestris iustis legibus!
 Perdite perduelles! parite laudem, et lauream; 200
 Vt vobis victi Poeni poenas subferant.

ALCESIMARCHVS. MELÆNIS.

ALCESIMARCHVS.

Credo ego amorem primum apud homines carnu-
 ficinam commentatum! t. t. I, 3
 Hanc ego de me coniecturam domi facio, foras
 ne quaeram,
 Qui omnis homines supero atque antideo crucia-
 bilitatibus animi:
 Iactor, crucior, agitor, stimolor, vorsor miser in
 rotula amoris, 205
 Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita
 nullam mentem
 Animid habeo; ubi sum, ibi non sum; ubi non sum,
 ibi animus est: ita mi
 Omnia sunt ingenia; quod lubet, non lubet id iam
 continuo.
 Ita me amor lassum animi ludificat, fugit, agit, ad-
 petessit,
 Raptat, retinet, lactat, largitur; quod dat, non dat;
 deludit; 210
 Modo quod suasit, dissuadet; quod dissuasit, iti-
 dem ostentat.
 Maritumis mecum experitur moribus: ita me fran-
 git amantem;

Nec, nisi quia miser ne eo pessum, mi ulla abest
perdito pernicies:

Ita pater apud villam detinuit me hos dies sex ru-
ri continuos,

Nec licitum interea est meam amicam visere. Est-
ne hoc miserum memoratu? 215

MELAENIS.

Eo facetus, quia tibi alia est sponsa locuples Le-
mnia? t. t. c.

Habeas! Neque nos factione tanta, quanta tu,
sumus;

Neque opes nostrae tam sunt validae, quam tuae:
verum tamen

Haud metuo, ne iusiurandum nostrum quisquam
culpitet;

Tu, iam si quid tibi dolebit, scies, qua doleat
gratia. 220

ALCESIMARCHVS.

Di me perdant . . .

MELAENIS.

Quodcunque optes, tibi velim contingere.

ALCESIMARCHVS.

Si illam uxorem duxero unquam, mihi quam de-
spondit pater!

MELAENIS.

Et me, si uxorem tibi unquam filiam dedero meam,

ALCESIMARCHVS.

Periurare me patieris?

MELAENIS.

Atque aliquanto facilius,

Quam, me meamque rem perire et ludificari
filiam, 225

Abi, quaere, ubi iuriurando tuo satis sit subsidi:
Hic apud nos iam, Alcesimarche, confregisti tes-
seram.

ALCESIMARCHVS.

Face semel periculum!

MELAENIS.

Saepe feci, quod factum queror.

ALCESIMARCHVS.

Redde mihi illam!

MELAENIS.

Inter novam rem verbum usurpabo vetus:
Quod dedi, datum non vellem; quod reliquom est,
non dabo. 230

ALCESIMARCHVS.

Non remissura es mihi illam?

MELAENIS.

Pro me responsas tibi.

ALCESIMARCHVS.

Non revortet?

MELAENIS.

Scis iamdudum omnem meam sententiam.

ALCESIMARCHVS.

Satin' istuc tibi corde certum est?

MELAENIS.

Quin ego coagmento quidem;
Non edepol tua istaec dicta nunc in auris recipio.

ALCESIMARCHVS.

Non? hem, quid ais?

MELAENIS.

Igitur animum advorte: quid aiam, ut
iam scias. 235

ALCESIMARCHVS.

At ita me di deaeque, superi atque inferi et me-
dioxumi,

Itaque me Iuno regina et Iovis supremi filia,
Itaque me Saturnus, patruos eius....

MELAENIS.

Ecastor pater.

ALCESIMARCHVS.

Itaque me Ops opulenta illius avia...

MELAENIS.

Imo mater quidem.

ALCESIMARCHVS.

Iuno filia et Saturni patruos, summus Iupiter... 240
Tu me delenis! propter te haec pecco! — Perge
dicere! —

An ne etiam, quid consultura sis, sciam? Perge
eloqui!

MELAENIS.

Non remittam! definitum est.

ALCESIMARCHVS.

Enimvero, ita me Iupiter,
Itaque me Iuno et Saturnus; ita... Quid dicam,
nescio!

Iam scio! Imo, mulier, audi: meam ut scias sen-
tentiam: 245

Divi med omnes, magnique minutique et patellarii,
Faxint, ne ego dem vivos viva e savium Silenio,
Nisi ego teque tuamque filiam et me hodie obtrun-
cavero,

Postea autem primo luci cras nisi ambo occidero,
Et quidem hercle nisi pedatu tertio omnis eccli-
xero, 250

Nisi tu illanc remittis ad me! Dixi, quae volui. Vale.

MELÆNIS.

Abiit intro iratus. Quid ego nunc agam? Si redierit

Illa ad hunc: ibidem loci res erit: ubi odium occoeperit:

Illam extrudet, hanc uxorem Lemniam ducet domum.

Sed tamen ibo et persequar: amens ne quid faciat, cauto opust. 255

Postremo, aequa lege quando pauperi cum divite
Non licet: perdam operam potius, quam carebo
filia.

Sed quis hic est, qui recta platea cursum huc contendit suom?

Et illuc paveo, et hoc formido: ita tota sum misera in metu.

LAMPADISCVS.

Anum sectatus sum clamore per vias; i. s. II, 1. 260

Miserrumam habui! Vt illaec hodie quot modis

Sibi moderatrix fuit atque inmemorabilis!

Quot illi blanditias, quid illi promisi boni!

Quot admoenivi fabricas, quot fallacias,

In quaestione! Vix exsculpsi ut diceret, 265

Quia ei promisi dolium vini dare.

PHANOSTRATA. LAMPADISCVS.
MELAENIS.

PHANOSTRATA.

Audire vocem visa sum ante aedis modo i. s. II, 2
Mei Lampadisci servi.

LAMPADISCVS.

Non surda es, hera :

Recte audivisti.

PHANOSTRATA.

Quid agis hic?

LAMPADISCVS.

Quod gaudeas.

PHANOSTRATA.

Quid id est?

LAMPADISCVS.

Hinc ex hisce aedibus paulo prius 270
Vidi exeuntem mulierem . . .

PHANOSTRATA.

Illam, quae meam

Gnatam sustulerat?

LAMPADISCVS.

Rem tenes.

PHANOSTRATA.

Quid postea?

LAMPADISCVS.

Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim
Herilem nostram filiam sustollere. Ex-
timuit.

MELAENIS.

Etiam male horret corpus, cor salit: 275

Nam mihi ab hippodromo memini adferri par-
volam

Puellam, eamque me mihi supponere.

PHANOSTRATA.

Age, perge, quaeso te: animus audire expetit,
Vt gesta res sit.

MELAENIS.

Vtinam audire non queas!

LAMPADISCVS.

Pergo illam subagitare blandis, benedicis 280

Dictis. Illaec Forti Fortuna fortius

Auris obturat. Ergo alumnam voco foras:

„Nam illaec tibi nutrix est: ne matrem censeas!

„Ego te reduco et te ad divitias voco,

„Vbi tu locere in luculentam familiam, 285

„Vnde tibi talenta magna viginti pater

„Det dotis! Non enim hic, ubi es, Tusco modo

„Tute tibi indigne dotem quaeras corpore!”

PHANOSTRATA.

An, amabo, meretrix illa est, quae illam sustulit?

LAMPADISCVS.

Imo fuit. Sed, ut siet de ea re, eloquar. 290

Iam perducebam illam ad me suadela mea.

Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans,

Ne deserat se: eam suam esse filiam;

Seque eam peperisse, sancte adiurabat mihi.

Istanc, quæm quaeris, inquit, ego amicae dedi 295

Meae, quae educaret eam pro filiola sua;

Et vivit, inquit. Vbi ea est? inquam extempulo.

PHANOSTRATA.

Servate di med, obsecro!

MELAEINIS.

At me perditis!

PHANOSTRATA.

Quo illanc dedisset, exquisisse oportuit.

LAMPADISCVS.

Quaesivi, et dixit, meretrici huic Melaenidi. 300

MELAEINIS.

Meum elocutust nomen! interii oppido!

LAMPADISCVS.

Vbi elocuta est: ego continuo interrogo:

„Vbi habitat?“ inquam. „Ducac demonstra mihi!“ —

„Aucta est,“ inquit, „peregre hinc habitatum.“

MELAEINIS.

Obsipat

Aquolam.

LAMPADISCVS.

„Quo aucta est, eo sequemur! Sicne agis 305

„Nugas? Peristi! Ne hercle hoc longed!“ Institi

Instare usque adeo, donec se adiurat mihi

Iam anus monstrare.

PHANOSTRATA.

At non amissam oportuit.

LAMPADISCVS.

Servatur; sed illaec se quandam aibat mulierem

Suam benevolentem convenire etiam prius, 310

Commune quacum id esset sibi negotium;

Et scio, venturam.

MELAEINIS.

Me indicabit et suas

Ad meas miserias addet.

PHANOSTRATA.

Fac me consciam,

Quid nunc vis facere me.

LAMPADISCVS.

Intro abi atque animo bono es.

Vir tuos si veniet: iube domi opperirier: 315

Ne quaestioni mihi sit, si quid eum velim.

Ad anum recurro ego rursum.

PHANOSTRATA.

Lampadio, obsecro,

Cura!

LAMPADISCVS.

Perfectum ego hoc dabo negotium.

PHANOSTRATA.

Deos teque spero.

MELAENIS.

Eosdem ego, ut tu abeas domum. —

Adulescens, adsta atque audi!

LAMPADISCVS.

Men', mulier, vocas? 320

MELAENIS.

Te.

LAMPADISCVS.

Quid negoti est? nam occupatus sum ampliter.

MELAENIS.

Quis istic habitat? ^{S. 1.} 21.

LAMPADISCVS.

Demipho, dominus meus.

MELAENIS.

Nempe istic est, qui Alcesimarcho filiam

Suam despondit in divitias maxumas?

LAMPADISCVS.

Is ipse.

MELAENIS.

Ehodum, quam vos igitur filiam 325

Nunc quaeritatis alteram?

LAMPADISCVS.

Ego dicam tibi:

Non ex uxore gnatam uxoris filiam.

MELAENIS.

Quid istuc verbi est?

LAMPADISCVS.

Ex priorē muliere

Nata, inquam, meo herō filia est.

MELAENIS.

Certe modo

Huius, quae locuta est, quaerere aibas filiam. 330

LAMPADISCVS.

Huius ergo quaero.

MELAENIS.

Quo modo igitur, obsecro,

Haec est prior, quae nupta nunc est?

LAMPADISCVS.

Conteris

Tu tua me oratione, mulier, quisquis es.

Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea

Nata haec est virgo, Alcesimarcho quae datur. 335

Ea uxor diem obiit. Scis?

MELAENIS.

Teneo istuc satis;

Sed ego illud quaeso confragosum, quo modo

Prior posterior et posterior sit prior?

LAMPADISCVS.

Prius hanc compressit, quam uxorem duxit domum;

Prius gravida facta est, priusque peperit filiam; 340

Eam postquam peperit: iussit parvam proiici;

Ego eam proieci; mulier alia sustulit;

Ego inspectavi; duxit herus hanc postibi.

Eam

Eam nunc puellam filiam eius quaerimus:
 Quid nunc supina sursum in coelum conspicias? 345

MELAENIS.

I nunc iam istuc, quo properabas: nil moror:
 Nunc intellexi.

LAMPADISCVS.

Dis hercle habeo gratiam:

Nam ni intellexes, nunquam credo amitteres.

MELAENIS.

Nunc mihi bonae necessum est esse ingratiis,
 Quamquam esse nolo: rem palam esse intellego: 350
 Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
 Ab illis, quam illaec indicet me. Ibo domum,
 Atque ad parentes reducam Silenium.

MELAENIS. ALCESIMARCHVS. SI-
 LENIVM.

MELAENIS.

Rem elocuta sum tibi omnem: sequere, mea Si-
 lenium: t. t. c. III.

Vt eorum, quoniam esse oportet te, sis potius, quam
 mea. 355

Quamquam invita te carebo: tamen ego indu-
 cam meum

Animum, ut illud, quod tuam in rem bene condu-
 cat, consulam.

Nam hic crepundia insunt, quibuscum te illa olim
 ad me detulit,

I.

[33]

Quae mihi te dedit: parentes ut cognoscant fa-
cilius.

Accipe hanc, Haliscá, cistellam! agedum pulta illas
foris: 360

Dic, me orare, ut aliquis intus prodeat. Propera
ocius!

ALCESIMARCHVS.

Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum!

SILENIVM.

Mater mea,

Periimus miserae!

ALCESIMARCHVS.

Vtrumne hac me feriam, an ab laeva, latus?

MELAENIS.

Quid tibi est?

SILENIVM.

Alcesimarchum non vides ferrum tenentem? t. t.

ALCESIMARCHVS.

Ecquid agis? Remorare! Lumen linque!

SILENIVM.

Amabo, adcurrite, t. t. c. 365

Ne se interimat!

ALCESIMARCHVS.

O salute mea salus salubrior,

Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me, ut vi-
vam, facis!

MELAENIS.

Hau, voluisti istuc severum facere?

ALCESIMARCHVS.

Nil mecum tibi:

Mortuos tibi sum; hanc, ut habeo, certum est non
amittere:

Nam hercle iam ad me adglutinandam totam de-
cretum est dare. 370

Vbi estis, servi? Occludite aedis pessulis, repa-
gulis;

Vbi ego hanc tetulero intra limen!

MELAENIS.

Abiit; mulierem abstulit.

Ibo, persequar iam illunc intro: ut haec ex me
sciat

Eadem, si possum tranquillum facere ex irato mihi.

LAMPADISCVS. PHANOSTRATA.

LAMPADISCVS.

Nullam ego me vidisse credo magis anum excru-
ciabilem, t. t. c. IV, 1. 375

Quam illaec est: quae dudum fassa est mihi, quae ne
inficias eat?

Sed eccam heram video! Sed hoc quid, haec
quod cistella hic iacet

Cum crepundiis, nec quemquam conspicio alium
in via?

Faciendum est puerile officium: conquiniscam ad
cistulam.

PHANOSTRATA.

Quid agis, Lampadio?

LAMPADISCVS.

Haec cistella numnam hinc ab nobis domo est? 380
Nam hinc ab ostio iacentem sustuli.

PHANOSTRATA.

Quid nuntias

Super anu?

LAMPADISCVS.

Scelestiorem in terra nullam esse alteram:
Omnia ire inficias ea, quae dudum confessa est
mihi.

Nam hercle ego illam anum inridere me ut sinam?
Satiust mihi

Quovis exitio interire!

PHANOSTRATA.

Di, obsecro vostram fidem... 385

LAMPADISCVS.

Quid deos obsecras?

PHANOSTRATA.

Servate nos!

LAMPADISCVS.

Quid est?

PHANOSTRATA.

Crepundia

Haec sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolarum
ad necem!

LAMPADISCVS.

Sanane es?

PHANOSTRATA.

Haec sunt profecto!

LAMPADISCVS.

Pergin'?

PHANOSTRATA.

Haec sunt!

LAMPADISCVS.

Si mihi

Alia mulier istoc pacto dicat: dicam, esse ebriam.

PHANOSTRATA.

Non ecaster cassa memoro! Nam, obsecro, unde
 haec gentium, 390
 Aut quis deus obiecit hanc ante ostium nostrum?
 Quasi
 Dedita opera, in tempore ipso Spes mihi sancta
 subvenit!

HALISCA. LAMPADISCVS. PHANO-
STRATA.

HALISCA.

Nisi quid mi opis di dant: disperii, neque, mi un-
 de auxilium expetam, habeo: t. t. IV, 2
 Ita petulantia me animi miseram habet, quae in
 tergum meum ne eveniat,
 Male formido, si hera mea sciat, tam socordem
 me esse, quam sum. 395
 Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante
 aedis b. t.
 Cistellam? Vbi ea sit, nescio; nisi, ut opinor,
 Loca haec circiter excidit mihi. b. tr.
 Mi homines, mi spectatores, facite indicium, si
 quis vidit, t. t.
 Quis eam abstulerit, quis sustulerit, et, utrum,
 hac an illac iter institerit! 300
 Non sum scitior, quae hos rogem aut quae fati-
 gem, b. t.
 Qui semper malo muliebri sunt lubentes.

Nunc vestigia hic si qua sunt, nōscitabo:

Nam si nemo hac praeteriit, postquamde intro
abii,

Cistella hic iaceret. — Quid? periitne? — Opi-
nor. 405

Actum est! ilicet me infelicem et scelestam!

Nulla est, neque ego sum usquam! b. d.

Perdita perdidit me! — Sed pergam, ut coepi,
tam: nam et intus as. ext. d. et i. d. c.

Paveo et foris formido: ita nunc utrobique metus
med agitat.

Illo hōmīnes sunt misere miseri: t. d. 410

Ille nunc laetus est, quisquis est, qui illam habet, c. t.

Quae ne ei esse usu quidquam potest, mihi potest.

Sed memet moror, quom hoc ago secius. Quin, b. t.

Halisca, hoc age: ad ter- b. d.

ram adspice et dispice! oculis astute augura c. t. 415

Investigans! c. h.

LAMPADISCVS.

Hera...

PHANOSTRATA.

Hem, quid est?

LAMPADISCVS.

Haec est...

PHANOSTRATA.

Quis.

LAMPADISCVS.

Quoi iam haec excidit ci-

stella. i. t. c.

Certe eccillum locum signat, ubi ea excidit. c. t.

PHANOSTRATA.

Paret.

HALISCA.

Sed is hac iit: c. d.

Hac video socci vestigium in pulvere. c. t. 420

Persequar hac. In hoc iam loco cum altero

Constitit, nec provorsum iniiit hac. Hic stetit.

Hinc illuc exiit. Hic concilium fuit.

Ad duos attinet. Sed qui sunt? Attate,

Singulum video vestigium! Hic se meis 425

Turbo obiecit modo oculis. Sed iste hac abit.

Contemplabor. Hinc huc iit; hinc nusquam ab-
iit. A-

ctam rem ago! c.

Quod periit, periit: corium meum et cistella. Re-
deo intro. i. t. c.

LAMPADISCVS.

Cistellam haec mulier quaeritat. Adeamus, hera,
parumper. 430

PHANOSTRATA.

Mulier, mane: sunt, qui volunt conventam.

HALISCA.

Quis me revocat?

LAMPADISCVS.

Bona femina et malus masculus volunt te.

HALISCA.

Postremo ille

Plus, qui vocat, scit, quid velit, quae ego, quae
vocat: revortor.

Ecquam vidisti quaerere hic, amabo, in hac regione
Cistellam cum crepundiis, quam ego hic amisi mi-
sera? 435

Nam dudum ut adcurrimus ad Alcesimarchum,
vitam

Ne suam interimeret, tum puto timore mi ex-
cidisse.

Disperii, misera! quid ego herae dicam, quae me
opere tanto

Servare iussit, qui suos Silenium parentes

Noscere poteset facilius, quae herae supposita est
parva, 440

Quam quaedam meretrix ei dedit?

LAMPADISCVS.

Nostram haec rem fabulatur.

Hanc scire oportet, filia tua ubi sit, ut signa dicit.

HALISCA.

Nunc eam volt suae matri et patri, quibus nata
est, reddere ultro.

Mi homo, obsecro, alias res geris: ego tibi meas
res mando.

LAMPADISCVS.

Istuc ago, atque istuc mihi cibust, quod fabulare; 445
Sed inter rem agendam istam herae huic respondi,
quod rogabat;

Nunc ad te redeo. Si quid est opus, dic, impera!
At tu

Quid quaeritabas?

HALISCA.

Mi homod et mea mulier, vos saluto.

PHANOSTRATA.

Et nos te. Sed quid quaeritas?

HALISCA.

Vestigium hic requiro.

Qua aufugit quaedam, nescio, quam dicam.

PHANOSTRATA.

Quid id est?

LAM-

LAMPADISCVS.

Quidnam est? 450

HALISCA.

Nescio, alienamne hanc ego anne familiarem
memorem.

LAMPADISCVS.

Mala merx, hera, haec et callida est.

PHANOSTRATA.

Ecastor ita videtur.

LAMPADISCVS.

Imitatur nequam bestiam et damnificam.

PHANOSTRATA.

Quamnam, amabo?

LAMPADISCVS.

Involvolum, quae in pampini folio intorta inpli-
cat se:

Itidem haec exorditur sibi hic intortam oratio-
nem. 455

Quid quaeritas?

HALISCA.

Cistella mi hic, mi adulescens, evolavit.

LAMPADISCVS.

In caveam latam oportuit.

HALISCA.

Non edepol praeda magna!

LAMPADISCVS.

Mirum, quin grex venalium in cistella infuerit una.

PHANOSTRATA.

Sine dicat.

LAMPADISCVS.

Si dicat quidem.

PHANOSTRATA.

Age tu, loquere, quid ibi infuerit.

HALISCA.

Crepundia una.

LAMPADISCVS.

Est quidam homo, qui illam ait se scire,
ubi sit. 460

HALISCA.

At pol ille ad quandam mulierem, si eam mon-
stret, gratiam ineat.

LAMPADISCVS.

At sibi ille quidam volt dari mercedem.

HALISCA.

At pol illa quaedam,
Quae illanc cistellam perdidit, quoidam negat esse
quod det.

LAMPADISCVS.

At enim quidam argentum expetit.

HALISCA.

At enim expetit nequidquam.

LAMPADISCVS.

At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratui-
ta est. 465

PHANOSTRATA.

Commodo loquelam iam tibi.

HALISCA.

Num proderis?

PHANOSTRATA.

Confitemur,

Cistellam habere.

HALISCA.

At vos Salus servassit! Vbi ea nunc est?

PHANOSTRATA.

Salvum eccam! Sed ego rem meam magnam confabulari

Tecum volo: sociam mihi te adopto ad meam salutem.

HALISCA.

Quid istuc negoti est, aut quis es?

PHANOSTRATA.

Ego sum illius mater, 470

Quae haec gestitavit.

HALISCA.

Hiccine tu ergo habitas?

PHANOSTRATA.

Hariolare.

Sed, quaeso, ambages, mulier, mitte atque hoc age: i. s.

Eloquere, unde haec sunt tibi, cito, crepundia.

HALISCA.

Mea haec herilis gestitavit filia.

LAMPADISCVS.

Mentire: nam mea gestitavit, non tua. 475

PHANOSTRATA.

Ne obloquere.

LAMPADISCVS.

Taceo.

PHANOSTRATA.

Mulier, perge dicere.

Vbi ea est, quae gestitavit?

HALISCA.

Hic in proximo.

PHANOSTRATA.

Istic quidem edepol mei habitat viri gener.

LAMPADISCVS.

Nae...

PHANOSTRATA.

Obloquere rursus? — Perge porro dicere.
 Quot annos nata dicitur?

HALISCA.

Septemdecim. 480

PHANOSTRATA.

Mea est!

LAMPADISCVS.

Ea est, annorum numerum ut attulit.

PHANOSTRATA.

Quod quaeritabam, filiam inveni meam!

HALISCA.

Quid? quoniam tuam invenisti, iam quaero
 meam?

Nam nostra alumna haec tua profecto est filia,
 Et redditura hera est tibi, et ea gratia 485
 Domo profecta est. Ceterum ex ipsa, obsecro,
 Exquaeritote: ego serva sum.

PHANOSTRATA.

Aequom postulas.

HALISCA.

Illius ego istanc esse malo gratiam.
 Sed istanc cistellam te obsecro ut reddas mihi!

PHANOSTRATA.

Quid fit, Lampadio?

LAMPADISCVS.

Quod tuom est, teneas tuom. 490

PHANOSTRATA.

At me huius miseret.

LAMPADISCVS.

Sic faciundum censeo:

Da isti cistellam et intro abi cum istac simul.

PHANOSTRATA.

Tibi auscultabo. Tene tu cistellam tibi
 (Aequom est) prod illo, per fidem quod credi-
 tum est:

Ne bene merenti sit malo benignitas. 495
 Abeamus intro. Sed quod est nomen tuae
 Dominae?

HALISCA.

Melaenis.

PHANOSTRATA.

I prae; iam ego te sequar.

LAMPADISCVS.

At pol, si haec duas sunt nactae, quaeram
 tertiam!

DEMIPHO. LAMPADISCVS.

DEMIPHO.

Quid negoti hoc est, quod homines fabulantur per
 vias, t. t. c. V.

Filiam mihi esse inventam? et Lampadionem me
 in foro 500

Quaesivisse aiunt.

LAMPADISCVS.

Here, unde is?

DEMIPHO.

Ex senatu.

LAMPADISCVS.

Gaudeo,
Tibi mea opera liberorum esse amplius.

DEMIPHO.

Enim non placet:
Nil moror, aliena mi opera fieri pluris liberos.
Sed quid istuc est?

LAMPADISCVS.

Propera ire intro huc ad adfinem tuom:
Filiam tuam iam cognosces. Intus ibidem uxor
tua est. 505

Abi cito!

DEMIPHO.

Praevorti hoc certum est aliis rebus omnibus.

—
G R E X.



Ne exspectetis, Spectatores, dum illi huc ad vos
exeant: t. t. c.
Nemo exhibit: omnes intus conficient negotium;
Vbi id erit factum, ornamenta ponent; postidea
lôci,
Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet. 510
Nunc, quod ad vos, Spectatores, reliquiom relin-
quitur,
More maiorum date plausum postrema in comoe-
dia.

ERRATA. Pag. 185 vers. 121 leg. dapsilas. P. 417 v. 1 del. i. i. s.
P. 422 v. 41 leg. leiunum est aequè atque ego te ruri reddebo.
P. 485 v. 3 leg. Ne ut amasso.

